

John Crawford,

M. D.

[illegible] [illegible]

PRÆLECTIONES MEDICÆ DUODECIM,

Johannes IN Crawford

THEATRO COLLEGII MEDICORUM LONDINENSIUM HABITÆ.

A THOMA LAWRENCE, M. D.
COLLEGII ejuſdem SOCIO.

LONDINI:
Proſtant venales apud JOHANNEM WHISTON et BENJ. WHITE in Fleetſtreet.
M DCC LVII.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE
16252

Digitized by the Internet Archive
in 2014

http://archive.org/details/praelectionesmed00lawr

Crawford

Prælectionum Argumenta.

Argumentum Prælectionis Primæ.

Argumentum Prælectionis Secundæ.

Argumentum Prælectionis Tertiæ.

Facultatum

Argumentum Prælectionis Quartæ.

Argumentum Prælectionis Quintæ.

Argumentum Prælectionis Sextæ.

Argumentum Prælectionis Septimæ.

Argumentum Prælectionis Octavæ.

Argumentum Prælectionis Nonæ.

Argumentum Prælectionis Decimæ.

Argumentum Prælectionis Undecimæ.

De

Argumentum Prælectionis Duodecimæ.

Notæ

ERRATA.

Pag. 9, Lin. 25, frontes. *leg.* frontis. p. 10, l. 5, efficente, *leg.* efficiente. ibid. l. 16, Petroſo, *l.* Petroſa. p. 15, l. 23, Proceſſubus, *l.* Proceſſibus. p. 28, l. 23, demiſſæ, *l.* dimiſſæ. p. 39, l. 21, Pendunculi, *l.* Pedunculi. p. 52, l. 18, comiſſis, *l.* commiſſis. p. 57, l. 12, quacunque, *l.* quæcunque. ibid. l. 15, quod, *l.* quid. p. 62, l. 20, *poſt* diſtinctos, *l.* reperimus. p. 64. l. 15, ενεργεία, *l.* ενεργεία. ibid. l. 16, συμπαθεια, *l.* συμπαθεία. p. 67. l. 7, notitia, *l.* notitiæ. p. 73, l. 4, opore, *l.* opere. p. 79, l. 10, abdomins, *l.* abdominis. p. 80, l. 15, redito, *l.* reddito. p. 90, l. *ultim*, oboleri, *l.* aboleri. p. 108, l. 6, *poſt* juſculo, *l.* e. p. 116, l. 4, pedetentum, *l.* pedetentim. p. 123, l. 12, frigidos, *l.* frigidi. p. 124, l. 20, moraciori, *l.* meraciori. p. 129, l. 15, ſuppoſito, *l.* ſuppoſita. ibid. l. *ultim.* quoddammodo, *l.* quodammodo. p. 139, l. *ultim.* delatu, *l.* delata. p. 147, l. 11, ἐμπύικοι, *l.* ἔμπυοι. p. 148, l. 20, conſequemur, *l.* conſequamur. p, 153, l. 14, delababantur, *l.* delabebantur. p. 161, l. 15, poſteriore, *l.* poſteriori. p. 167. l. 23, dicitur, *l.* dicatur. p. 174, l. 9, ſentiant, *l.* ſentiunt. p. 185, l. 9, patent, *l.* patet. p. 212, l. 14, copus, *l.* corpus. p. 230, l. 19, perpeſſi, *l.* prægreſſi. p. 241, l. 18, inſtituentur. *l.* inſtituantur. p. 250, l. 17, invaſuram, *l.* invaſurum. ibid. l. 17. prænunciant, *l.* prænuncient. p. 270, l. 1, contradicent, *l.* contradicant. p. 272, l. 1, probabilitur, *l.* probabiliter. p. 273, l. 6, hujuſe, *l.* hujuſce. p. 292, l. 7, quibus, *l.* in quibus. p. 294, l. 20, Ἀσθυα, *l.* Ἆσθμα. p. 301, l. 16, *poſt* vel, *dele* ut. ibid. l. 19, *ante* ſanguine, *dele* ut. p. 309, l. 11, reducetur, *l.* reducatur. p. 312: l. 7, habetudo, *l.* hebetudo. p. 323, l. 20, Proximum eſt, ut vitium, *l.* Proximum eſt vitium.

UNIVERSITY OF MARYLAND
1813
SCHOOL OF MEDICINE.

PRÆLECTIO I.

CUM ea mihi, Auditores, data eſt provincia, ut ex Cronii inſtituto de Cerebri atque Nervorum natura diſſeram; quo plenius et melius hoc meum munus atque officium exequar, de Calvariæ fabrica quædam reliquo ſermoni noſtro præmunienda puto; non quidem oſſium ſingulorum, e quibus conſtat, formam et apophyſes, et foramina, et nexus expoſiturus; ſed, his prætermiſſis, ſive minutioribus, ſive a præſtituto munere alienis, ea ſtrictim percurſurus, quæ rem maxime videbuntur attingere.

In Calvaria fabricanda, quatuor potiſſimum natura ſpectaſſe videtur. Primum, ut Cerebrum loco ſatis amplo, et ad ejuſdem figuram apto et

conjungantur, quo vis externa premat major; vi autem Cerebri increſcentis facile diſtrahantur, niſi ſi quando eveniat, ut in junioribus, maturius juſto, vel mutetur prima denticulorum forma, vel, concretis oſſibus, aboleantur ſuturæ. (ſuturæ enim nomen articuli genus modo deſcriptum, a ſimilitudine ſortitum eſt.) Quos caſus, compreſſo cerebro, vertigines, ſcotomata, vomitus, et morbus comitialis haud raro conſequuntur.

Nonnunquam tamen, Calvaria ita male conſtituta, naturam e morbis, arte fere immedicabilibus, ſuis viribus evaſiſſe novimus. Plus enim quam vice ſimplici, cum in pueris teneris materia, quam ad oſſa duranda natura comparaverat, in membranas inter hæc medias impulſa ſubſtitiſſet, deletiſque ſuturis, oſſa coaluiſſent, figuram capitis naturalem in aliam mutatam vidimus; cum Cerebri increſcentis vis, quæ in oſſium compage divellenda parum valuiſſet, oſſibus in

longum



Pueruli Calvaria propter suturam Sagittalem Ancylosi deletam secundum latitudinem justo arctior, in longitudinem vero abnormem producta ut quantum fieri posset increscenti Cerebro locus cederetur.

A. Sutura Coronalis. B. Sutura Lambdoides. C. Sutura Sagittalis Ancylosi deleta.

C. Hillemerich delin. et sculp.

longum extensis, cavum Calvariæ ampliasset: cujus in exemplum pueri quinquennis caput vobis conspiciendum produco.

Restat, ut de quarto eorum, quibus potissimum, in Calvaria fabricanda, natura consuluisse videtur, de viis nempe, quibus arteriæ sanguinem ad Cerebrum advehentes, venæ eundem exportantes, nervique, ad partes corporis sentiendi, vel movendi facultate præditas, demissi feruntur, dicam. Cum tamen hæc omnia, tum optime perspici possint, cum de vasis, et nervis locuti fuerimus, illuc deferamus quicquid de his dicendum instituti ratio postulare videbitur.

Calvariæ parte superiore ablata, sectione ab ima fronte utrinque ad occiput medium ducta, ita ut nihil ossis ultra nobis perquirentibus obstet, Membranæ Cerebri, Græci *μένιγγες* vocant, perlustrandæ veniunt. Ab his Arabes membranarum omnium, quotquot in animantis corpore reperiuntur, originem,

originem, recte an secus parum ad nostrum institutum attinet, repetentes, earum exteriorem Duram, interiorem autem Piam, matrem nominavere: Galenus vero hanc Tenuem, illam Crassam, Meningem vocat.

Crassam Meningem, cui natura partes, Calvariam intus vestiendi, Cerebrum contegendi, et sustinendi, sanguinem a Cerebro reducem recipiendi, postremo, nervos e Calvaria egressos ad loca sua præstituta deducendi, dedit, ex natura compacta, tendinosa, dura, unde nomen suum sortita est, constitutam reperiemus; licet multa, quæ contra facere videantur, de motu hujus membranæ commentatus sit Baglivius, aliique, qui de musculosis filis, huic motui inservientibus, scripserunt. Mihi certe, fila hæc musculosa perquirenti, quanquam lacertos, ligamentorum naturam referentes, reliquis filis, Meningem crassam constituentibus, crassiores, nonnunquam etiam rubicundiores, sanguine

ſanguine nimirum tinctos, vario ductu per internam Craſſæ Meningis faciem, et Proceſſum ejuſdem Falciformem vagantes, ſæpe vidiſſe contigit; lacertos tamen, quos revera muſculoſos haberem, nunquam vidi.

Ex duabus membranis, quas laminas anatomici recentiores vocant, Craſſa Meninx conſtituta dicitur, quarum exterior, Calvariæ oſſibus contigua, iiſdem ubique adhæret, vaſis et fibris a Calvaria et Craſſa Meninge datis et acceptis.

Unde fit ut detractæ Craſſæ Meningis facies, ea, quæ Calvariam ſpectat, ſemper aſpera, punctiſque rubris diſtincta, conſpiciatur, fibris nimirum et vaſis, quæ Craſſam Meningem cum Calvaria connectunt, diſtractis atque ruptis. Notandum eſt autem, hanc mutuam Calvariæ et Craſſæ Meningis cohærentiam ſuturis multo quam cæteris locis eſſe validiorem, ſenibus autem quam junioribus debiliorem eſſe.

Interior autem Craſſæ Meningis membrana, ea ſcilicet, quæ Cerebrum ſpectat, exteriore, modo deſcripta, et craſſior et validior eſt, filiſque, ſpecie muſculoſam naturam mentientibus, diſtincta, facie tamen ſua, Cerebro propiore, ſatis lævis et polita. Eadem, a membrana exteriore digreſſa, et in Calvariæ cavitatem projecta et conduplicata, plicaturas Craſſæ Meningis, eas, quas medici Proceſſus nominant, conſtituit.

Cum autem Craſſæ Meningis membranas, ſive laminas, duas tantum memoravi, nolim ita accipi ea, quæ dixi, quaſi negarem hanc Meningem in plures porro membranas poſſe dividi. Hoc enim omnium fere membranarum commune eſt, ut quo diligentiorem et patientiorem in his dividendis quis ſeſe præſtiterit, eo plures laminas invicem appoſitas in quavis membrana reperiet: Quare non alia cauſa Meningis Craſſæ laminas memoravi; niſi ut dilucidius ejuſdem Proceſſus,

Proceſſus, unde orirentur et quemadmodum producerentur, explicarem.

E lamina Craſſæ Meningis interiore, conduplicata, Proceſſus ejuſdem fieri paulo ante dixi. Quatuor autem ſunt Proceſſus, quorum tres majores dicuntur, quartus enim cæteris longe minor eſt. Majorum Proceſſuum primus Cerebri hemiſphæria interjacet. Duæ alteræ, laterales dictæ, in Calvariæ parte inferiore collocantur inter Cerebrum et Cerebellum. Quartus autem Cerebellum quaſi in duos lobos dividit.

Proceſſus primus, Falciformis dictus, ob oſſe medio occipitis uſque ad frontem ſub Sutura Sagittali protenſus, parte ſua poſteriore latior exiſtit, inter progrediendum autem verſus anteriora ſenſim auguſtior factus, in falcis formam, unde nomen habet, incurvatur. Cum Proceſſibus Lateralibus extremo ſuo poſteriore inferne committitur, Spinæ autem oſſis frontes, Criſtæque oſſis Ethmoidis, parte ſua

ſua anteriore fixus, adhæreſcit. Ex lamina anteriore Craſſæ Meningis ſub Sutura Sagittali ab utroque Calvariæ latere producta et duplicata, membranaſque duas contiguas efficente, conſtituitur. Proceſſus Falciformis contextu validior, et craſſior, et denſior iis locis, quibus ipſi Sinus Longitudinalis mox deſcribendus incumbit, ſenſim tenuior et debilior, ab occipite ad frontem progreditur; tenuiſſimus vero, et quaſi acutus exiſtit extremitate ſua interiore, falcis aciem imitatus.

Proceſſus Laterales ab Oſſe Occipitis et Apophyſi Petroſo Oſſis Temporis, hic dextra, ille ſiniſtra, exorti, ſibi ipſis obviam fiunt, qua cum Proceſſu Falciformi modo deſcripto committuntur. Extremis vero ſuis anterioribus juxta Sellam Turcicam, in Oſſe Sphenoide infixi, foramen quoddam oblongum, marginibus ſuis interioribus et Sellæ Turcicæ parte poſteriore circumſcriptum, efficiunt.

Ex

Ex Proceſſibus Lateralibus conſtituitur ſeptum validum, quodam modo fornicatum, inter Cerebri Lobos poſteriores et Cerebellum collocatum, quod ope Proceſſus Falciformis, ſibi continuati, ſuſpenſum et tenſum, quaſi tectum fornicatum præcavet, ne Cerebri moles Cerebello gravior incumbat. Quod ſitum et nexum horum omnium contemplanti ſtatim patet, ut omittam, quod, laxato Proceſſu Falciformi, laxatur ſimul, et concidit ſeptum fornicatum, quod ex Proceſſibus Lateralibus factum modo dixi.

Proceſſus quartus Craſſæ Meningis, omnium Proceſſuum minimus, ſub Proceſſibus Lateralibus, mediæ Spinæ Oſſis Occipitis adhæret, et Cerebelli Lobos interjacet. Ligamenti vice, ut mea fert ſententia, fungitur, ſocius quaſi Proceſſus Falciformis, in Proceſſibus Lateralibus tendendis et firmandis.

Ut humor vitalis Craſſæ Meningi ſufficeret, atque ab eadem prompte deduceretur,

deduceretur, Arteriis, Venis, Sinubus profpectum eft. Arteriæ Craffæ Meningis duæ primæ et principes a ramo Maxillari Carotidis utriufque externæ, hæc a dextro, illa a finiftro, fingulares exortæ, et retro inflexæ, per Os Sphenoides, propriis foraminibus tranfmiffæ, in Calvariæ cavum feruntur, deinde Craffæ Meningi intextæ, inque ramos frequentes, fecum invicem mutuis et frequentiffimis ἀναςομωσέων canaliculis fanguinem communicantes, divifæ, quin et ramufculis, qui ab arteriis iifdem latera calvariæ oppofita perreptantibus proficifcuntur conjunctæ, fanguinem, calorem, nutrimentum maximæ Meningis parti præbent; rorifque illius tenuis, quo madet interior ejufdem membranæ facies, fecretioni profpiciunt.

Cum his confociatæ, iifdem enim ufibus inferviunt, ad Craffam Meningem dimittuntur aliæ arteriæ, quarum duæ, parvulæ quidem, a Carotide interna, hæc a dextra, illa a finiftra, dum

dum adhuc ſub Craſſa Meninge latet, exoriuntur, ramuliſque vicinæ Meningi Craſſæ diviſis, cum ſurculis arteriarum, quas modo deſcripſi, crebra Anaſtomoſi conjunguntur. Aliæ duæ arteriæ, a ramis Carotidis externæ, ex oculi Orbita dextra et ſiniſtra, ſingulæ, per foramen proprium in Calvariam, Oſſe Ethomoide perforato, ingreſſæ, partem Craſſæ Meningis anteriorem perreptant, ſanguinemque cum arteriis deſcriptis ramulorum conjunctione communicant. Poſtremo, ab arteriis Vertebralibus ad poſteriorem et inferiorem Craſſæ Meningis partem arteriæ proficiſcuntur, ramis ſuis numeroſis quaqua diſperſæ mutuaque ſurculorum extremorum conjunctione commiſſæ.

Sanguis, a Craſſa Meninge redux, non omnis iiſdem viis derivatur, quandoquidem ejuſdem pars aliqua a venis arteriarum comitibus excipitur, et in venas Jugulares externas, et in eas, quæ membrana illa, quam Græci

Περι-

Περικρανίαν dicunt, intexta ſunt, defertur. Pars autem reliqua a venis, alia prorſus via incedentibus, deducta in canales fabricæ ſingularis, per quos etiam ſanguis, a cerebro refluus, fertur, partim in venas Jugulares externas, præcipue vero in venas Jugulares internas, deſcendit.

Canales autem illi, ſingularis fabricæ ſanguinem a Cerebro redeuntem excipientes et deducentes, vocantur a Galeno Διπλώσεις, ſive duplicationes Craſſæ Meningis, per quas, venas ductas, et quibus, eaſdem munitas putat: a recentioribus vero Sinus, ad quorum formas, et ſitum et curſum contemplandum nos convertamus.

Inter membranas Craſſæ Meningis, quibus eorum parietes conſtituuntur, incedunt. Sinuum autem alii, quorum nexus cum partibus vicinis æquabilem eorum diſtentionem impedit, ſunt formæ triangularis; quæ in Sinubus iis, qui majores nuncupantur, maxime conſpicitur. Alii vero, qui diſtractione

diſtractione laterali liberi ſunt, venarum fere formam ſortiuntur. In Sinubus majoribus fræna ſeu ligamenta quædam tranſverſa reperimus, a Williſio, qui ea primus deſcripſit, Chordæ Williſii dicta; his præcavetur ne ſanguine, ſive abundante, ſive æſtuante, Sinus diſrumpantur, vel nimium diſtendantur.

Sinuum, alii majores, alii minores, appellantur. Sinus majores numerantur quatuor. Longitudinalis major; Duo Laterales, poſtremo, quartus Tranſlateralis dictus.

Sinus Longitudinalis major, exili principio inter Oſſis Frontis foramen cæcum et Criſtam Oſſis Ethmoidis ortus, ſub Sutura, Sagittali dicta, Falcis dorſo incumbens progreditur, venarumque rivulis in ipſum influentibus amplior ſenſim factus, in Sinus duos Laterales, qua Proceſſus Falciformis cum Proceſſubus Lateralibus juxta Occiput committitur ſanguinem ſuum fundit.

Sinus

Sinus Laterales ab extremo posteriore Sinus Longitudinalis, alter in dextram, alter in sinistram, demissi, ibique a se invicem digressi, inter Processuum Lateralium laminas progrediuntur, sulco flexuoso Ossi Occipitis et parti posteriori Ossium Temporum insculpto incumbentes. Prorsum primo diriguntur, ad Ossa autem Temporum appulsi cursu magis præcipiti ad Ossis Occipitis partem inferiorem feruntur, alio tandem flexu in Venarum Jugularium capita dilatata deferendi.

Ut vero de dilatatis venarum Jugularium capitibus recte statuamus, animadvertendum est earum hanc qualemcunque amplitudinem non eo nomine a natura factam fuisse, ut sanguini præcipitantius de Cerebro descendenti diverticulum quoddam pararetur, ne impetu majore justo per venam Cavam in cordis Auriculam facto, sanguinis motus æquabilis forte interturbaretur, ut Willisii fert sententia; at cum motu capitis vario non

non potuit fieri, quin venæ a capite ad Cor productæ nonnunquam tenderentur, atque viis ideo angustioribus factis, sanguinis redeuntis cursus non nihil impediretur, Venas Jugulares, quas, ut tensioni præcautum esset, longiores fabricasset Divinus Artifex, hic loci inflexas et gibbo quodam incurvatas, in speciem quandam ampullaceam dilatatas videri quidem, revera autem non dilatari.

Sinus Quartus a loco quo Processus Laterales sibi invicem occurrentes Angulum Sellam Turcicam spectantem faciunt, a vena magna Galeni Plexus Choroidis sanguinem deducente, et a Sinu minore Longitudinali sanguinem accipit, obliquoque cursu retrorsum versus inferiora productus, eundem in Sinus Laterales tradit.

Parum ad hoc nostrum institutum attinet quærere quibusnam de causis locus, quo quatuor Sinus modo descripti coeunt, Torcular ab Herophilo dictus sit; quandoquidem hic, haud

ſecus ac in aliis Corporis locis, naturæ faciem ſæpe variam conſpicimus; nec ſemper Sinus Quartus inter principia duorum Sinuum Lateralium in finem Sinus Longitudinalis fertur, nec ex adverſo ſui invicem a Sinu extremo Longitudinali ſemper demittuntur Sinus Laterales.

Sinus Craſſæ Meningis Minores ab aliis aliter numerantur: quorum qui ſequuntur ſunt inſigniores, Longitudinalis Minor, qui Falcis aciei incumbit, et in Sinum Quartum ſanguinem ſuum deducit. Petroſi Externi et Interni, ſuper Os Petroſum decurrentes et cum Sinubus Lateralibus, veniſque Externis Jugularibus commiſſi. Sinus Optici, qui cum oculorum venis, per Foramina Lacera e Calvariæ cavo egreſſi, conjunguntur. Circulares Superiores et Inferiores, Sellam Turcicam circumfuſi. Poſtremo, Intralaterales, Infralaterales, et Occipitales. Omnes Sinus, Minores intelligo, mutuam ſecum invicem, et cum Sinubus Majoribus com-

communicationem habent ut motus ſanguinis a Cerebro reducis ex omni parte facilis et expeditus præſtetur.

Supereſt, ut de uſu Craſſæ Meningis dicam. Quæ cum internæ Calvariæ faciei, vaſis mutuo emiſſis acceptiſque adhæreat, nec alia membrana reperiatur, qua Oſſa Calvariæ intus obducantur; eam vice perioſtei interni fungi evincitur, præſertim cum per exteriorem potiſſimum ejuſdem laminam vaſa ſanguinem ducentia diſpergantur, et ex ea in Calvariæ Oſſa producantur.

Alius eſt uſus Meningis hujuſce Craſſæ et Validæ, oſſa enim Calvariæ ſibi invicem nectit, et in junioribus ejuſdem Calvariæ diſtractionem, Suturis oſſium nondum abſolutis, coercet; ne forte in caput ſanguine vehementius, vel in æſtu febrientium, vel ab inæquali vaſorum tono, vel niſu validiore quocunque vomendi, tuſſiendi, ſternutandi compulſo, vaſa cerebri diſ-

 rumpantur,

rumpantur, et ſanguine effuſo, homo attonitus moriatur.

Poſtremo, (ut omittam tunicam nervorum exteriorem, qua eorum fila tenuiſſima et tenerrima in omnem corporis partem, ſive motui, ſive ſenſui inſervientem, excepto auris Labyrintho, munita deducuntur,) ex Craſſæ Meningis membrana interiore duplicata Proceſſus modo deſcripti conſtant, qui, Cerebri molem ſuſtinendo, ne Cerebello gravius incumbat præcavent, et ſanguinem a toto εγκεφάλω redeuntem ſinubus ſuis deferunt.

At in Craſſæ Meningis uſibus recenſendis minime prætereunda ſunt ea quæ Baglivius de motu hujuſce membranæ ſatis quidem acute licet minus vere commentatus eſt. Qui ut novam ſuam rationem partium firmarum morbos explicandi in Medicinam induceret, atque confirmaret; motuum in corpore animantis cauſas duas principes poſuit. Unum Cor, quod quaſi machina quædam *compreſſoria*, ut

ut ipſe loquitur, in partes corporis carnoſas et ſanguineas ſanguinem exprimendo mittit: Alteram, Craſſam Meningem, cujus motu reciproco humor actuoſus in Cerebro confectus per omnes corporis partes membranaceas, quas ſolas ſenſiles eſſe vult, propelli putat. Craſſam itaque Meningem alterum quaſi Cor ſolidum validumque appellat, et, quo ſententiam ſuam comprobatam faciat, membranam illam ex filis lacertiſque validis conſtitutam deſcribit. Deinde ad experientiam provocat: ſiquidem in capitis vulneribus, quibus, fracta diſruptaque Calvaria, Meninx Craſſa in conſpectum noſtrum venit, eandem vulnere detectam undique æqualiter et valide alternis vicibus dilatari atque contrahi videamus. Præterea, in puerulis recens natis, quibus oſſa Calvariæ tenuia et mollia exiſtunt, membraniſque, inter margines eorum diſtantes interjectis, connectuntur, manu fronti, vel vertici potius, quo loco oſſa a ſe in-

vicem maxime diſtant, admota, evidentiſſimum, velut cordis ipſius, motum ſentiamus. Experimenta præterea in brutis animalibus a ſe facta, quibus etiam rem confectam vult, in medium profert. Poſtremo, argumentis, a natura diverſa morborum, eorum, qui in ſanguineis, et eorum, qui in exanguibus corporis partibus inſidunt, petitis hæc omnia confirmata et illuſtrata putat. His autem refellendis non immorabimur. Craſſam Meningem e filis contextis factam eſſe fateamur, quæ vero ad naturam Ligamentorum et Tendinum, non Muſculorum, proxime accedunt. Nec ſi muſculoſa Craſſa Meninx extitiſſet, ideo motu reciprocante ſeſe dilatare, atque conſtringere potuiſſet: Adhæret enim tota Calvariæ internæ. Nec movent nos ea, quæ experimentis, in brutis animalibus factis, didiciſſe ſe putat Baglivius, aut ea, quæ in capitis vulneribus, et in Calvariis recens natorum nobis, inſpicientibus,

aut

aut manum admoventibus, occurrunt. Quandoquidem Cerebrum una cum arteriis, quaqua per ejuſdem tam interiora quam exteriora diffuſis, ut dilatetur et concidat, ablata, aut nondum abſoluta, qua contineatur, Calvaria, neceſſe eſt. Quid igitur miremur, ſi in Craſſa Meninge, undique Cerebro contigua, idem etiam reciproci conſpiciantur motus. Sed de his ſatis, proxima diſſertatione negotium inſtitutum inſequemur longius.

PRÆLECTIO II.

ORATIONE hesterna Calvariæ formam et compagem, crassæque Meningis fabricam, atque usum exposui; nunc autem de reliquis Cerebri integumentis differendum, quo recte atque ordine institutum persequar.

Resecta Crassa Meninge, Cerebri facies inæquabilis et sinuosa, tunicis suis tenuibus obducta, in conspectum venit. Harum exterior, ab insigni sua tenuitate, dicitur Aranea: quam alii Cerebro adesse negant, alii vero membranam Tenuis Meningis exteriorem esse volunt, quod utrumque secus est: Araneam enim adesse nemo certe negabit, qui vel Medullam Oblongatam, vel Cerebelli partem posteriorem, quas, laxo hoc velamine, obduci

duci evidentiſſimum eſt, oculis, etiam minus curioſis, ſemel conſpexerit. Nec in ulla parte faciei exterioris Cerebri, in conſpectum non facillime produci poſſit Aranea, ſi tela reticulata, qua Tenui Meningi ſubjectæ nectitur, immiſſo flatu paululum diſtendatur. Et, quod eandem Meningis Tenuis membranam exteriorem eſſe volunt, in eo minus recte eoſdem ſentire patet, quia a Meninge Tenui planiſſime dignoſcatur eo, quod hæc, anfractibus Cerebri omnibus apta et applicata, toti ejuſdem faciei contigua nectatur; cum e contrario Membrana Aranea nunquam in ſulcos Cerebri ſeſe demittat, ſed, omnibus gyris et anfractibus trajectis, Cerebri partes ſulcis interciſas firmet et connectat; quin et ipſam tunicam Araneam ex duplici membrana conſtare evincitur, arteriarum enim venarumque ramuſculos, inter ejuſdem membranas ſparſos et repentes, juxta Cerebelli anfractus clariſſime conſpicimus.

Aranea

Aranea vaſa ſua, quæ tenuiora fere ſunt, quam ut ſanguinem deferre poſſint, ab arteriarum ramis, ad Tenuem Meningem proficiſcentibus, habet producta. Siquidem arteriæ, obliquo curſu Araneam perforantes, ſurculos ſuos tenuiſſimos per ejuſdem membranam utramque diſpergendos dimittunt: Humorem vero reducem venulæ in venas, a Tenui Meninge inter membranas ejuſdem Araneæ deductas, Sinuſque diſſertatione ſuperiore deſcriptos petentes, deferunt.

Ex iis, quæ dicta ſunt, quid faciat tunica Aranea colligamus. Hanc ſiquidem arterias, ad Meningem Tenuem, venas autem, a Meninge Tenui ad Craſſæ Meningis Sinus, progreſſuras ſuſtinentem, et locis quaſque ſuis continentem, Cerebri præterea Lobos, et Cerebelli partes diviſas ſibi invicem colligantem, fulcientem, firmantem videmus. Quin et eadem membrana, inter Meningem Craſſam et Tenuem interpoſita, ne hæc in

motu

motu Cerebri quocunque, ſive propter arterias ejuſdem alternis vicibus contractas et diſtentas, ſive propter capitis geſtum nullo non temporis momento mutatum, frictione atteratur, præcavet, atque adeo Cerebrum ſubjectum tutius a detrimento præſtat.

Tunicæ Araneæ ſujicitur Meninx Tenuis, in omnes Cerebri ſulcos et anfractus mirabili artificio demiſſa, et diſtributa, atque adeo faciei ejuſdem ampliſſimæ omni parti contigua et connexa; ut ejuſdem vaſorum ope, ſanguis ea copia ad Cerebri corticem advehatur, quæ humoribus, Cerebri miniſterio ſecernendis, ſufficiat. Cum enim ad hujus munera obeunda, ſive in liquore eo, qui per nervos in omnes corporis partes deferri creditur, conficiendo, ſive quo alio, hiſce enim quæſtionibus nullo modo me implicatum volo, ſanguinis proventus copioſiſſimus requiri videatur; quanam alia ratione, ſinuoſæ et ſulcatæ Cerebri faciei, vel promptior, vel copioſior,

ſuppetere

ſuppetere potuit iſte proventus, quam ſi, innumeris vaſorum, ſanguinem deferentium, ramuſculis diſtribuendis et ſuſtinendis ampliſſimum membranæ ſpatium daretur, ipſaque membrana, in omnes plicaturas atque gyros Cerebri producta, ſanguinem, vaſis ſuis delatum, ad Corticem Cerebri, quacunque facies ejuſdem extenditur, deduceret?

Quo plenius autem et melius naturæ artificium, in ſanguine ad Cerebrum deferendo, perſpectum habeamus, Arteriarum, Cerebro inſervientium, numerum et ortum et diſtributionem contemplemur.

Quatuor omnino Arteriæ numerantur, quæ ſanguinem ad Cerebrum deferunt, duæ nempe Carotides, et totidem Vertebrales.

Carotides a Magna Arteria, ubi modo hæc e Corde egreſſa primo in arcum flectitur, demiſſæ, dextra ſiniſtraque præter colli latera paululum, incurvatæ feruntur; atque dimiſſis binis

binis arteriis quibus, in ſanguine diſtribuendo, externis capitis partibus proſpicitur, flexuoſo itinere ad Os Petroſum perveniunt; deinde ſurſum verſus anteriora flexæ meatum Calvariæ, Caroticum dictum, ſubeunt; quo tandem ſuperato, flexu mirabili ſerpentino ſub Craſſa Meninge repunt; et juxta Sellam Turcicam Oſſis Sphenoidis emerſæ, tres ramos ſingulæ, in omnes Tenuis Meningis plicaturas ſurculis ſuis diviſis diſpergendos, emittunt. Quorum duo, hic a dextra, ille a ſiniſtra Carotide exortus, retrorſum flexi cum Arteriis Vertebralibus ſanguinem ſuum communicant. Duo alii ſurſum, verſus anteriora, ab iiſdem Carotidibus projecti, mox mutua *αναϛομώσει* coeunt, atque denuo diviſi, Cerebri Lobos anteriores, et Corpus Calloſum irrigant, quin et ramos ad Lobos Cerebri poſteriores mittunt. Reliqui duo in Tenuis Meningis partem mediam et poſteriorem, dextram ſiniſtramque, ſurculos ſuos

ſuos diſpergunt. Vertebrales autem arteriæ ab Axillaribus, hæc a dextra, illa a ſiniſtra, exortæ, per foramina Lateralia Vertebrarum colli ſex ſuperiorum aſcendunt; et ne, in capite convertendo, iiſdem tenſis et coarctatis, copia ſanguinis ad Cerebrum deferendi viarum anguſtia minuatur, inter Vertebram primam et ſecundam flexu quodam incurvantur. Quinetiam, inter Vertebram primam et os Occipitis progredientes, eædem arteriæ ſecundo flexu ſinuantur, ut in iis capitis motibus, quibus annuimus, vel abnuimus, iter ſanguinis ſit quam apertiſſimum. Deinde per foramen Magnum Occipitis Calvariæ cavum ſubeunt, et mox, demiſſis arteriis ad partes vicinas, Medullam ſcilicet Spinalem, Caudam Medullæ Oblongatæ, et Cerebellum, coeunt, Arteriamque, Cervicalem dictam, efficiunt.

A Cervicalis autem Arteriæ trunco producuntur utrinque rami plures, numero incerti, in Proceſſum Annu-

larem

larem, Cerebellum, Nates etiam et Teſtes, locaque vicina diſpergendi; quin et idem Arteriæ Cervicalis truncus, juxta partem Proceſſus Annularis anteriorem, in ramos duos inſigniores, cum ramis, ab Arteriis Carotidibus primum emiſſis, anaſtomoſi conjunctos, dividitur, miſſa tamen, in ipſo quaſi conjunctionis articulo, ſingulari utrinque arteria ad Plexum Choroidem parteſque Cerebri interiores.

Cerebrum eſt omne diviſum in partes tres, quarum Prima, quæ proprio nomine Cerebrum dicitur, Calvariæ cavæ partem ſuperiorem occupat. Altera, Cerebellum nominata, ſub Proceſſibus Lateralibus Craſſæ Meningis poſita, cavi ejuſdem locum inferiorem poſteriorem implet. Tertia, Medulla Oblongata, ex Medulla Cerebri et Cerebelli producta conſtans, in parte media inferiore collocatur.

Cerebrum autem in Hemiſphæria duo a Proceſſu Craſſæ Meningis, Falciformi dicto, dividitur, dextrum nimirum

mirum et ſiniſtrum, quorum utriuſque duo ſunt Lobi, anterior ſcilicet et poſterior, in Cerebri parte inferiore ſpectabiles.

Diviſa eſt præterea Cerebri facies ſulcis numeroſis, quaſi ſerpentino flexu incurvatis, aliis altioribus, aliis minus profundis, qui plicaturis Tenuis Meningis, in imum demiſſis, obducuntur. Cerebri autem partes, ſulcis diviſæ, tunica Aranea ſulcis omnibus ſuperjecta, ſibi invicem connexæ firmantur.

Eſt etiam alia Cerebri diviſio. Siquidem ejuſdem ad perpendiculum ſecti pars ea, quæ exterior eſt, et colore cinerea, Cortex a medicis recentioribus dicitur: interior autem Cortice denſior, et durior, colore præterea albiſſima, Medulla nuncupatur.

In cerebri Corticem demittuntur arteriæ numeroſæ et exiles, ab extremis Tenuis Meningis arteriis productæ, tomenti tenuiſſimi ſpeciem referentes: quarum ope pars ſanguinis ea, quæ tenuior eſt, Cortici traditur, ut inde humores

humores liquidiſſimi, ſive ſpiritus, ſive alio quovis nomine inſigniri debeant, in uſus animantis medullæ miniſterio ſecernantur.

Communi enim Medicorum conſenſu, licet de fabrica Corticis Cerebri opiniones variæ ſint et diſcrepantes, aliis cum Malpighio glandoſam eam aſſerentibus, aliis cum Ruyſchio eandem ex vaſis ſimplicibus contextam, Medulla Cerebri ex vaſis, e Cortice productis, conſtituta habetur. Quorum Vaſorum cum exilitas longe ſubtilior, quam ut, in ea, arte propelli poſſint liquores colorati, tum eorundem vaſorum inſignis mollitudo et debilitas, quibus omnis in hac Medulla retexenda opera luditur, terminum quidem ſcientiæ noſtræ hic poſuiſſe videntur, licet campum ampliſſimum, in quo libere vagentur conjecturæ, dederint.

Diductis paululum a ſe invicem Cerebri hemiſphæriis, in imo ſulci magni, ſub Proceſſu Craſſæ Meningis Falciformi, occurrit materia Cerebri Me-

 dulloſa,

dullosa, laquearis in modum Ventriculis Cerebri Lateralibus superjecta, quæ Corpus Callosum hic loci, a natura ejus paulo duriore, dicitur. Sub Corporis Callosi medio lira quædam in longum extenditur, cui utrinque angulis obliquis occurrunt aliæ liræ Medullosæ, priori illi similes quidem, paulo tamen depressiores.

Ventriculi autem membranula quadam duplice, tenuissima, pellucida, a Medulla medii Corporis Callosi demissa, quæ Septum Lucidum audit, a se invicem distinguuntur.

In hisce Ventriculis eminent a parte eorum anteriore duo corpora, Striata dicta, quia in iis, derasa facie exteriore, materia Cinerea et Medullosa, quasi laminis alternis, juxta se positæ conspiciuntur. In medio autem loco, hisce Ventriculis Lateralibus interjecto, tectum quoddam Medullosum trilaterale, Ventriculo Tertio impositum, Fornix dicitur, tribus quasi columnis innixum: quarum anterior duabus radicibus

radicibus a Medulla utriusque hemisphærii oritur: posteriores vero, in posteriore Ventriculorum parte versus anteriora et exteriora circumflexæ, cum parietibus inferioribus eorundem Ventriculorum continuatæ, evanescunt.

Abscisso Fornice, Ventriculus Tertius patet; Thalamique nervorum Opticorum forma sphæroide, intus striis distincti, medulla autem tenerrima obducti, paulo magis quam Corpora Striata ad Cerebri interiora et posteriora siti, in conspectum veniunt.

In medio autem loco, inter columnam Fornicis anteriorem et nervorum Opticorum Thalamos, patet ostium Infundibuli, ad Glandulam Pituitariam Sellæ Turcicæ impositam ducentis. Ex altera vero parte ab Infundibulo in meatum quendam, Thalamis nervorum Opticorum subjectum, qui a nonnullis Tertius Ventriculus dicitur, aditus aperitur. Ex hoc meatu in Ventriculum Quartum Cerebello

 sub-

ſubjectum, Canalis: quidam medius ſub tuberculis, mox deſcribendis, porrectus, a Sylvio Aquæductus nomine inſignitur.

Inter Thalamos vero nervorum Opticorum et tubercula anteriora patet foramen, ab Highmoro poſterius dictum (ut ab Infundibulo dignoſceretur:) ab imo autem foramine poſteriore, hinc in meatum ad Infundibulum, via eſt, illinc in Aquæductum Sylvii.

Quatuor autem ſunt tubercula, quorum duo anteriora Nates, poſteriora Teſtes vocantur. Tubercula vero ſunt intus coloris cinerei, facie autem exteriore albi: præterea membrana, vaſculis ſatis multis intextis, a Plexu Choroide producta, conteguntur.

Tuberculis anterioribus ſuperincumbit rotundum quoddam corpus κωνάριον a Galeno dictum, a recentioribus vero glandula Pinealis, a Carteſio nobilitatum, qui in eo, ſedem animæ cogitantis poſuit, unde, quaſi a ſpecula, in media Cerebri arce locata,

quicquid

quicquid in provincia ſua ageretur, proſpiceret.

In Ventriculis Lateralibus membrana quædam laxa et libera, arteriarum et venarum numeroſarum contextu inſignis, Plexus Choroides dicta, occurrit; quæ, latius producta, Thalamos nervorum Opticorum, Nates, Teſtes, et Glandulam Pinealem ſupergreſſa, vaſis tenuiſſimis, iiſdem datis, adhæret: præterea cavitatum omnium modo deſcriptarum parietes membrana tenui, a Tenui Meninge producta, obteguntur, cujus vaſcula, immiſſo liquore quolibet tenui et tenaci facile in conſpectum produci poſſunt.

Ad Cerebellum exponendum progrediamur, quod, in parte Calvariæ cavæ ima poſterius collocatum, facie ſua ſuperiore convexa, aptiſſime laqueari concavo, a Proceſſibus Lateralibus Craſſæ Meningis facto, reſpondet; parte autem poſteriore ſua in duos quaſi Lobos diviſum, ſulco interjecto

Processui Crassæ Meningis Quarto locum cedit. Aliis præterea sulcis intersecatur multis et profundis parte sua exteriore, arcuatis quasi, et inter se parallelis, qui tamen, secto ad perpendiculum Cerebello, idem Sinubus hisce flexuosis mire sulcatum, et Meningem Tenuem incredibili arteriarum numero irriguam, et plicaturis suis ad imum usque sulcorum productam ostendunt.

Hic etiam, facie nimirum Cerebelli ad perpendiculam secta, si quo alio loco, videamus, quanam ratione tunica Aranea a Tenui Meninge differat. Hanc siquidem inter omnes Cerebelli partes sulcis divisas cum vasis suis interjectam videamus; illam autem sulcos omnes transgressam, faciei ejusdem exteriori adhærentem, partesque divisas connectentem. Secto etiam in hunc modum Cerebello, ipsum e Medulla interiore Cortice cinereo obducta constantem reperiemus; parte Medullosa et Cinerea ita secum invicem compositis, ut

ut arborem medullosam, cinereis quasi foliis frondescentem pulcherrima sane similitudinis specie referant.

Dissecto Cerebello medio ad perpendiculum, partibusque divisis ad dextram sinistramque diductis, Ventriculus Quartus patet; in cujus parte superiore sub imis Testibus, juxta Aquæ ductus Sylvii foramen posterius, membranulam quandam, naturæ Medullosæ, transversam, videmus, quæ Valvula Cerebri Major dicitur. Ventriculus Quartus in posteriore Medullæ Oblongatæ latere inferne insculptús, parte sua superiore arctior, paulatim ampliatur, deinde sensim angustior factus, et sulco quedam medio in longum ducto distinctus, quasi crena calami scriptorii, nomen a similtudine mutuatur. Quarti hujus Ventriculi latera, paulum eminentia, Penduncúli Cerebelli a nonnullis vocantur. Quorum duo superiores, Pedunculos dico, a Medulla Oblongata sub imis Testibus, inferiores autem, a Cauda ejus-

dem Medullæ, medii a Processu Annulari mox describendo in Cerebellum producti, ejusdem ramos Medullosos constituunt.

Tertia pars Cerebri Medulla Oblongata dicitur, ex Cerebri et Cerebelli filis Medullosis productis et consociatis facta, pauca tamen materia cinerea vasisque sanguinem ducentibus interjectis. In parte media inferiore Calvariæ cavæ collocatur, a perpendiculo versus anteriora inclinata. In parte sua anteriore duo caudices crassi Medullosi, a Corporibus Striatis usque ad Processum, Annularem dictum, protensi, et angulo acuto juxta Processum illum coeuntes, Crura Medullæ Oblongatæ vocantur. Inter Crura descendit Infundibulum, a Ventriculo Tertio in Glandulam Pituitariam demissum, quod ab ore ampliore, a quo in Ventriculum viam patere dixi, sensim arctius factum, prorsum versus inferiora protenditur, et tunica a Tenui Meninge producta roboratum, perforata Crassa Meninge, in

in Glandulam Pituitariam immiſſum evaneſcit. Tunica autem, a Tenui Meninge producta, amplior facta Glandulam Pituitariam undique circumveſtit, arteriarumque ramuſculos numeroſiſſimos, in glandulam ingreſſuros, ordine pulcherrimo diſtributos, ſecum ducit.

Sub extremis inferioribus Crurum Medullæ Oblongatæ, eo nempe loco quo ſibi invicem committuntur, Proceſſus Annularis prominet, ſulco quodam, quo arteriæ cervicali incumbit, in partem dextram et ſiniſtram diviſus. A Proceſſu Annulari duobus quaſi radicibus, hac dextra, illa ſiniſtra, quas medios Cerebelli Pedunculos modo dixi, producitur pars Magna materiæ illius Medulloſæ, quæ Cerebelli Cortici interjecta arboris ſpeciem illam conſtituit, quam, ſecto ad perpendiculum Cerebello, in conſpectum venire ſupra memoravimus.

Infra Proceſſum Annularem Corpora duo Pyramidalia, et totidem

Oli-

Olivaria dicta, e Cauda Medullæ Oblongatæ eminent, quorum hæc inferne et exterius, illa ſuperne et interius collocantur, nec ulla alia cauſa videntur digna, ut propriis nominibus inſigniantur, niſi quod originibus nervorum accuratius monſtrandis quodammodo inſervire hæc notatio videatur.

In originibus nervorum indicandis, quod me jam facere inſtituti ratio poſtulat, breviter potius quam nimium diligenter agam, cum nec in iis, quæ rarius occurrunt, recenſendis, nec iis, in quibus naturam a ſeipſa diſcrepaſſe nonnunquam medicorum teſtimonia perhibent, memorandis, veſtrum bonum otium conterere eſt conſilium.

Nervorum qui e Calvariæ cavo exeunt decem numerantur paria, quorum novem a Medulla Oblongata dimittuntur, decimum, e Medulla Spinali exortum, in Calvariam ſcandit,

atque

atque una cum pari octavo egreditur, nomen Paris Accessorii sortitum.

Nervorum a Medulla Oblongata primi sunt, qui obsactui serviunt. A Corporibus Striatis exoriuntur, et sub Lobis Cerebri anterioribus progressi, fila sua per foramina Ossis Ethmoidis naribus distribuenda demittunt.

Secundum par Optici nervi constituunt, qui a lateribus Thalamorum Opticorum exorti, et cursu flexuoso a se invicem digressi, iterum ad se mutuo accedunt, et sibi invicem commissi pro Infundibulo, deinde rursus, hic ad dextram, ille ad sinistram, diversi, per Optica Foramina e cavo Calvariæ exeunt.

Tertii paris nervi a Medulla Oblongata, ubi Processus Annularis cum ejusdem Medullæ Cruribus committitur, exoriuntur, juxta latera Sellæ Turcicæ Crassam Meningem subeunt, e Calvaria per Foramina Lacera exituri, ad musculos oculorum rectos superiores, interiores, inferiores.

Quarti

Quarti paris nervi admodum exiles a Proceſſu Medulloſo pone Teſtes principium ſuum habent, oram Proceſſuum Lateralium Craſſæ Meningis ſubeunt juxta Sellam Turcicam, ejuſdemque Meningis tegmine muniti, ad Foramina Lacera deferuntur muſculis oculorum, Troclearibus dictis, diſtribuendi.

Quinti paris nervi, a lateribus Proceſſus Annularis exorti, Craſſam Meningem, anteriori parti Proceſſus Petroſi Oſſis temporis, hic dextra, ille ſiniſtra, incumbentes, ſubeunt, filiſque quibuſdam exiguis Craſſæ Meningi impertitis, in tres ramos ſinguli dividuntur, mox e Calvariæ cavo per propria ſua foramina exituros. Superior enim, qui ramus Ophthalmicus dicitur, per Foramen Lacerum, Medius per foramen ſecundum oſſis Sphenoidis, Tertius per foramen ejuſdem oſſis tertium.

Sexti paris nervi, a Corporibus Pyramidalibus orti, Craſſam Meningem infra

infra Sellam Turcicam ſubeunt, et juxta latera ejuſdem progreſſi, filis a nervis Intercoſtalibus, qui cum arteriis Carotidibus in Calvariæ cavum aſcendunt, acceptis aucti, quin et aliis filis nonnunquam, a Quinto pari impertitis, donati, e Calvaria demum per Foramina Lacera egreſſi, in muſculos oculorum Abducentes omnino immittuntur.

Nervi paris ſeptimi duplices utrinque exoriuntur a Proceſſu Annulari juxta Cerebelli Pedunculos. Utriuſque autem nervi portio anterior, dura dicitur, poſterior vero, mollis. Ambæ portiones Foramen, auditorium dictum, ſimul ingrediuntur, mox autem a ſe invicem digreſſæ ſeparantur.

Portionis autem duræ rami ſunt duo, quorum alter in foramine Auditorio reflexus, et per foramen proprium in Calvariæ cavitatem reverſus, Craſſæ Meningi intexitur. Alter vero per Fallopii Aquæductum pro-

greſſus

greſſus ramuſculos Tympano auris, oſſibus Auditui inſervientibus, Tubæ Euſtachianæ impertit, et demum ex Oſſe Petroſo ſub Apophyſi ejus Maſtoide egreſſus, locis vicinis ſurculos ſuos dividit.

Portio, autem mollis nervi ſeptimi auris Labyrintho interiori tota impenditur.

Nervi octavi paris, a parte poſteriore Crurum Medullæ Oblongatæ, a Proceſſu Annulari, a Corporibus Olivaribus, pluribus et diſtinctis fibris orti, una cum nervo Spinali, Acceſſorio dicto, per octavum par foraminum e Calvaria exeunt, inſtrumentis voci ſervientibus, viſceribus thoracis, et abdominis, longe lateque diſpertiendi.

Poſtremo, nervi par nonum conſtituentes, pluribus fibris juxta corpora Olivaria orti, per foramina in margine magni foraminis Oſſis Occipitis progrediuntur, et in linguam intimam ramulos ſuos diſpergunt.

Poſt

Poſt miſſos nervos Noni Paris Medulla Oblongata, gracilior facta, in Thecam Spinalem deſcendit, et, nomine priore repudiato, Medulla Spinalis dicitur. In Medulla Spinali, ſecus ac in Cerebro, pars Medulloſa, ſive alba, Cineream interiorem ambit, Forma autem Spinalis Medullæ ad cylindrum aliquatenus accedit, ita tamen ut a parte poſteriore paulo ſit depreſſior. Quod ad ejus craſſitudinem ſpectat, animadvertendum eſt, Thecam Spinalem ab eadem haud ita impleri, quin inter hanc et parietes circumjectos ſpatium quoddam inane circum circa relinquatur. Id enim omnino et vitæ et ſalutis ratio poſtulabat, ne in motibus Spinæ flexuoſis Medulla aut compreſſa, aut contuſa, muneribus ſuis obeundis impar evaderet.

A Medulla Spinali, dextra, ſiniſtraque, oriuntur nervorum faſciculi duplices, alii ſcilicet ab anteriore, alii a poſteriore ejuſdem facie emiſſi, qui

eo

eo obliquius ad exitus loca deſcendunt, quo eorundem origo inferior exiſtit. Faſciculi prædicti, perforata Craſſæ Meningis membrana interiore, poſteriores et anteriores ſecum invicem coeunt, nervoſque Medullæ Spinalis conſtituunt, quorum triginta vulgo numerantur paria.

Veſtitur enim Medulla Spinalis iiſdem integumentis, quibus Cerebrum contegi ſupra diximus, Meninge nimirum Craſſa et Tenui, cum tunica Aranea interjecta. In Tenui autem Medullæ Spinalis Meninge (ut ab interiore ejus tunica incipiam) nec arteriæ, nec venæ ita frequentes, ac in Cerebri Tenui Meninge conſpiciuntur. Diverſa quippe harum partium fabrica, et finis, non parem vaſorum numerum deſiderant. Nam in Cerebri tunica illa interiore incredibilis iſte vaſorum ſanguinem ducentium numerus membranæ nutriendæ non totus impenditur; quicquid enim ſanguinis ad Cerebri munera ſuſtinenda addu-

citur,

citur, id omne arteriis Tenuis Menin- adfertur. Quod in Medulla Spinali ſecus eſt. Hujus enim tunicæ interiori vis ſanguinis longe minor dicatur, nec fortaſſe multo plures arteriæ per eam diſperguntur, quam quæ eidem nutriendæ et humectandæ ſufficiant.

Ab arteriis Vertebralibus, Calvariæ cavum ingreſſis, arteriæ Spinales duæ poſteriores profectæ, lateri Spinalis Medullæ poſteriori incumbentes, tunicæ a Tenui Meninge productæ, intexuntur, ramoſque tenues intimæ Medullæ inter progrediendum mittunt. Aliæ duæ arteriæ ab iiſdem Vertebralibus ortæ, juxta eum locum, quo ex hiſce conjunctis Arteria Cervicalis naſcitur, mox coeunt, Arteriamque Spinalem Anteriorem efficiunt; quæ tamen arteria nonnunquam ſingulari trunco ab alterutra Vertebralium exorta reperitur. Ab Arteriis autem Spinalibus tam poſterioribus quam anteriore producuntur rami, quorum

UNIVERSITY OF MARYLAND LIBRARY Founded ... SCHOOL OF MEDICINE

alii ſibi invicem obviam euntes mutuis oſculis committuntur; alii faſciculis nervorum a Medulla Spinali oriundis dantur; horum vero plerique cum ramuſculis, ab Arteriis Vertebralibus, Intercoſtalibus, Lumbaribus, et Iliacis internis emiſſis, Anaſtomoſi conjunguntur. Sanguis autem a Medulla Spinali redux a venulis ſuis partim in venas colli Vertebrales, maxime vero in Sinus duos tunicam Spinalis Medullæ exteriorem, mox deſcribandam, parte ea, qua corpora Vertebrarum ſpectat, longitudine permenſos, et Canalibus pluribus tranſverſis ſecum invicem junctos, defertur.

In arteriarum autem, earum, quæ per tunicam Medullæ Spinalis interiorem diſperguntur, curſu, Naturæ artificium haud ſatis mirari poſſumus: flexu enim ſerpentino repunt, non ut, rapido ſanguinis curſu anfractibus impedito, Medulla natura ſua molliſſima integra conſervetur, nec ut motu ſanguinis placidiore humoris cujuſcunque

ſecretioni

ſecretioni ſaveatur: ſed, ne in motibus Spinæ flexuoſis nimis extenta atque inde arctior facta arteria curſum liberum ſanguini denegaret. Quod autem revera nulla alia cauſa ſubſit, quamobrem Arteriæ Spinales flexuoſæ incedant, niſi ut in omni motu Spinæ via ſanguinis expedita conſervetur, exinde colligimus; quod in iis Medullæ Spinalis partibus hinc et inde maximo flexu volvuntur Arteriæ, quæ iis Spinæ locis reſpondent, in quibus hæc maxime incurvari ſolet, collo nempe et lumbis.

Membrana Aranea laxiſſime Medullæ Spinali circumjecta, fibriſque quibuſdam inter nervorum faſciculos laterales dimiſſis eidem connexa, clariſſime conſpicitur, ſi Medulla Spinalis e Theca Vertebrali recens exſecta et Craſſa Meninge nudata in Spiritu Vini ſuſpenſa oculis noſtris objiciatur. Partem vero Medullæ inferiorem arctius quam ſuperiorem complectitur,

et inter faſciculos nervorum Spinalium interjecta, eoſdem in vaginas a Craſſa Meninge productas, ingreſſuros, uſque ad vaginas comitatur.

Craſſa Meninx e Calvariæ cavo per Foramen Magnum occipitis producta laxam tunicam exteriorem Medullæ Spinali, et vaginam Nervo cuique Spinali, e Theca Vertebrali per proprium ſuum foramen exeunti, impertit. Quandoquidem horum nervorum ſingulorum faſciculi anteriores et poſteriores, perforata Craſſæ Meningis Membrana interiore, mox Ganglio facto, truncum nervoſum conſtituunt, qui, vagina mutuata a membrana Craſſæ Meningis exteriore, per foramen laterale ex comiſſis vertebrarum contiguarum inciſuris factum, progreditur, ad loca præſtituta deducendus.

Medulla Spinalis infra primam Lumborum Vertebram non deſcendit, nervorum autem Spinalium ſinguli faſciculi ultra, ad locum, quo quiſque

quiſque e ſpecu Vertebrarum exiturus eſt, producuntur, et Caudam Equinam, a ſimilitudine dictam, efficiunt.

Hæc habui quæ de fabrica Cerebri Medullæque Spinalis vobis exponerem; quæ de Cerebri uſu nervorumque natura dicenda ſunt, alio tempore perſequar.

PRÆLECTIO III.

DE Cerebri fabrica diebus ſuperioribus ſatis dictum arbitror, ſequitur ut de ejuſdem uſu, nervorumque natura ea quæ veriſimilia novi vobis exponam.

Principio igitur animadvertendum eſt Animalium corpora ita a natura eſſe comparata, ut illis neceſſe ſit, vi earum rerum ex quibus conſtant, quas alii initia, alii principia, alii elementa vocant, putreſcendo interire, niſi aut aliqua ſubſit cauſa qua elementorum natura immutetur (quod tamen non fit) aut particulæ putreſcentes, ſecretione ſatis mature facta, expellantur.

Cum autem ex hac vivendi conditione conſequatur, ut corpus, demptis indies particulis putreſcentibus eo ipſo modo, quo natura ejus conſervationem molita

molita eſt, corruat; alimentis huic malo occurritur: quibus intro receptis et quaſi civitate donatis, ea quæ in corpore, perpetua particularum corruptarum diſſipatione labefacta ſunt, iterum reficiuntur.

In omnibus præterea animalibus vim quandam ſentientem a natura provida et benigna inſitam videmus, qua res externæ circum circa poſitæ, ſive nocituræ, ſive profuturæ, ſuis quæque notis inſignitæ dignoſcuntur.

Senſuum vero vis acris, qua rerum notæ perciperentur, fruſtra animalibus ineſſet, niſi alia etiam facultas acceſſiſſet ea, quæ ſalutem allatura viderentur, conſequendi, ea, quæ damnum aut interitum minarentur, fugiendi aut propulſandi. Inſtrumenta igitur motui voluntario ſervientia animalibus data ſunt, ut animi arbitrio ſeſe a loco in locum transferre, et membra perinde movere poſſent ac rerum appetendarum aut fugiendarum ratio poſtulare videatur.

 Hinc

Hinc orta eſt in ſcholis medicorum decantata illa Facultatum tripartita diviſio, cujus pars prima Vires Vitales, quibus, Secretionum et Excretionum ope, corruptio præceps a corpore propulſatur, continet. Secunda pars Vires Animales Senſum nimirum, et motum Voluntarium comprehendit. Tertia Vires Naturales complectitur quæ corpori alendo et reficiendo præponuntur.

Cum autem interea certiſſimis conſtet experimentis toti negotio animantis conſervandi ita Cerebrum præeſſe, ut hoc deſtructo, Facultas omnis, ſive Vitalis, ſive Naturalis, ſive Animalis, ſimul pereat: cumque eadem experientia compertum ſit, Facultates alias aliis nervis, tanquam miniſtris a diverſis Cerebri partibus emiſſis, exerceri; ideo quia Par Nervorum primum odorum varietates, Secundum rerum formas et colores, Septimum ſonorum diſcrimina, Nonum Sapores percipiendos nobis deferat: et quia

præterea

præterea nervorum alii motui, alii tactui inservire videantur: et quia motuum alii sunt voluntarii, alii, contra, voluntatis imperio minime subjiciantur: hisque ita aliquando contingat, ut voluntarii omnino pereant, illæsis aliis: De usu quidem Cerebri generatim nullæ moventur lites, si quidem in Cerebro, tanquam in prætorio animi consulis, nervo cuique suæ partes dividuntur, ut res omnes, quacunque tandem sint, recte in corporis provincia administrentur Quisquis autem ostendere aggredietur quod cuique Cerebri parti munus a natura descriptum sit næ ille quæstiones obscurissimas, ne dicam inenodabiles, explicandas suscipiet.

Nec tamen ea quæ modo dixi ita intellecta velim quasi nihil de his rebus verisimile dici posse putem. Nam, ut omittam ea quæ de Cerebri Cortice superiore dissertatione dicta sunt, ea, quæ Willisius noster de muneribus Cerebro et Cerebello propriis protulit, excipio,

excipio, licet ita certa atque explorata non ſint, quin argumenta, imo experimenta iis opponi poſſint: cum autem in eo, quod imperium in ſenſus, motuſque voluntarios, Cerebro demandet, Facultatibus autem Vitalibus et non Voluntariis Cerebellum præficiat, et ſimplicior et ad veritatem propenſior videatur ejus ſententia, quam in iis, quæ de uſu ſingularum Cerebri et Cerebelli partium dixit; eam paucis expedire haud abſurdum duco.

Intus enim in Cerebro res præteritas memoria revocari, et rerum, quaſi præſentium, imagines fingi, et ratione judicioque ſibi invicem componi et comparari, cuique, quid ipſe cogitat paulo diligentius contemplanti, liquido patere dicit Williſius: Præterea, quicquid voluntate fit, id nutu vel potius imperio animi, quaſi in ſolio Cerebri collocati, nobiſmet ipſis fieri videtur. Cerebelli autem, officium id ſibi videri, ut motus Vitales,

quales

quales ſunt Cordis contractio, et arteriarum pulſus ordinati, qui nobis nolentibus, imo inſciis peraguntur, ejuſdem moderamine temperentur. Nervos enim eos qui huic Vitali negotio inſerviunt a Cerebello non a Cerebro oriri. Præterea, plicaturas Cerebelli, quas ordine certo invicem compoſitas, et alias aliis certa ratione minores, ſecus ac in Cerebro, videmus, argumento ſatis firmo eſſe, ordinata ex his ſpirituum emiſſione ordinatis his motibus Vitalibus proſpici. Quod diverſa fabrica diverſorum animalium ſatis confirmatum putat. Multum enim inter hominem et belluas intereſſe, quod in his Cerebri plicaturæ et anfractus pauciores et minus tortuoſæ reperiantur, cum contra, in homine cogitationum et affectuum numerus et varietas ſpatium amplius et gyros plures atque majores (O hominis miram quidlibet fingendi licentiam!) requirant. In omnibus autem animalibus Cerebellum eadem

proſus

prorſus ratione configurari, utpote quod iiſdem Vitalibus negotiis præficitur, hæc enim in omnibus eadem prorſus ratione et ritu peraguntur.

Hæc fere Williſius; quæ, ſi nulla affirmatione adhibita, vel quia origines Octavi Paris nervorum, certe Quinti Paris, et Sexti, non adeo exploratas eſſe putem, ut quis certo confirmare poſſit eas continuato filorum ductu a Cerebello poſſe deduci; vel quia in provinciæ Vitalis adminiſtratione, certe Animalis, Sexti Paris nervi cum Pari Vago conſocientur; vel quia in monſtruoſis quibuſdam motus voluntarios abſente Cerebro ſatis integros extitiſſe compertum ſit; vel quia Cerebello deſtructo et Cordis et Inteſtinorum motus peragantur; vel denique, quod ea quæ ex anfractibus Cerebri flexuoſis et incertis, cum Cerebelli plicaturis ordinatis, comparatis et invicem compoſitis probari et confici putat, minus intelligam; etiam atque etiam perpendenda relinquo, ut futuris experimentis

perimentis vel prorſus confirmentur, vel e Phyſiologia Medica exulent, non ideo relinquo, quod ſcriptoris Doctiſſimi auctoritatem non maximi facio, ſed ut ingenii mei tenuis excuſatione apud vos utar, ſi earum rerum explicationem quæ Williſio ipſi fortaſſe minus feliciter ceſſit, a me minume ſuſcipiendam putem.

Ad naturam nervorum exponendam venio, quorum primo fabricam, deinde vires ſpectemus; nam de eorum originibus ſatis diſſertatione ſuperiore dictum eſt.

Duplex eſt nervorum materia, alia Medulloſa a filis albis Medullæ Oblongatæ vel Spinalis tracta; alia membranacea a membranis Cerebri, Craſſa nempe et Tenui, producta.

Nervorum pars Medulloſa in fila tenuiſſima diviſa ſecundum nervi longitudinem porrigitur, fila vero ſingula tunica tenui membranacea veſtiuntur; horum vero filorum plura cum tunicis ſuis, alia tunica membranacea circumjecta,

jecta, faſciculos conſtituunt, ex his faſciculis faſciculi majores, et ex his majoribus alii porro majores fiunt, et ſic deinceps, donec tandem omnes communi membrana inveſtiti nervoſum truncum conſtituunt.

Nervis autem tunicam interiorem Meninx Tenuis, Exteriorem vero Craſſa Meninx impertit; quibus omnes nervorum ramos, etiam minutiſſimos, veſtitos deſcribunt Medici, conjectura potius quam oculis rationem capientes, præter nervi Septimi portionem mollem, cui tunica exterior Craſſa deeſt.

In iis autem locis quibus nervi vel in plures ramos diſpertiuntur, vel cum aliis nervis, quod ſæpe fit, committuntur, eoſdem Nodis quibuſdam diſtinctos quos alii Ganglia, Fallopius vero, qui primus deſcripſit, corpora Olivaria vocavit. In his, quantumvis arcte Nervi diverſi ſecum invicem conjungi videantur, nulla vel Nervoſæ materiæ unitas, vel liquoris nervoſi

vosi confusio, vel canaliculorum conjunctio aut anastomosis esse potest; postulat enim et sensuum et facultatum distinctio, ut nervorum quæque fila a communi animi officina protensa singula et a cæteris omnibus sejuncta locis suis impertiantur. Quod cum ab ipso Willisio concedatur, non possum non mirari, quod in partium quarundam Sympathia exponenda, a nervorum complexibus ejusdem causam petat: præsertim cum hac ratione id quod velit aut non conficitur, aut conficitur quod nolit: quod ne temere dictum putetis exemplo rem cognoscite.

Irritentur nares pulvere quovis paulo acriore. Sternutamentum sequitur, propter Quinti Paris nervorum cum nervo Intercostali conjunctionem. Quid? quod in multis nulla ejusmodi conjunctio reperiatur? Profecto, siqua fides iis sectionibus, quas ipse in hunc finem institui, ut medicorum varias de hac conjunctione sententias cum

rebus

rebus componerem, adhibenda ſit, eandem minime perpetuam eſſe concedendum eſt.

Sin autem Williſio demus Sympathias illas nervorum mutuo commercio effici, quæ tandem cauſa aut qualis ratio afferri poſſit quamobrem ſtimulus naribus admotus non tuſſim non ſingultum non vomitum cieat, propter mutuam conjunctionem nervorum Quinti, Sexti, et Octavi Paris, filis ultro citroque, Secundum Williſium, datis et acceptis. Alia profecto hujus rei cauſa ſubſit neceſſe eſt, quæ Principii Vitalis ενεργεία rectius fortaſſe quam cuivis nervorum συμπαθεία referatur.

At in nervorum diviſione contemplanda non poſſumus non mirari ramorum diſtributionem pene infinitam, ſummamque eorundem ſubtilitatem. Nam ſi nervorum omnium, tum eorum, qui a Medulla Cerebri Oblongata, tum eorum, qui a Medulla Spinali exoriuntur, pars Medulloſa in unum

unum faſciculum cogeretur, vix digitum craſſitudine æquipararet: eadem tamen incredibili ramorum numero diſtributa, a communi Senſum Officina in omnes partes corporis externas et internas ductu continuato ita exporrigitur, ut nullus in cute locus inveniatur qui aculeo minimo vel etiam veneni ſpiculis longe minoribus compunctus, non doleat, nullum filum muſculoſum quod ſtimuli irritamento non contrahatur, nullum vas, ſive arteria ſive vena, quod ſanguinis contactu acrioris vel lenioris, non perinde tendatur.

Ex nervorum ſubtilitate expoſita vel vanitatis vel erroris eos arguamus licet, qui fines nervorum ſenſilium ſive in cute, ſive in lingua, ſive in naribus deſcriptos nobis tradiderunt; eorumque, contra, patet temeritas, qui nervos illis partibus datos eſſe negant quibus eoſdem intextos videre nunquam potuerunt, nam ut nervorum fines extremi ita etiam eorun-

dem complures ramuſculi longe minores ſunt quam ut ſub cernendi ſenſum cadere poſſint.

In nervorum extremis poſita videtur illa conditio ſive fabricæ ſive materiæ qua res oblatas ſenſibus percipimus. Argumentis enim et experimentis conſtat nervorum lateribus percuſſis rerum objectarum ſpecies ad animum minime deferri poſſe, aut ſi poſſint, confuſas neceſſario deferendas. Nam ſi nervi impreſſas rerum imagines lateribus ſuis ſentiant, qui fit, ut luminis perceptio impulſu ſolum in Retinam facto, non autem ictibus ab arteria nervo Optico vicina impreſſis excitetur? Qui ſit, ut arteriæ in Auris Labyrintho repentes ſonorum perceptionem nullam nervis audientibus excitent? Brachiorum nervi, ad digitos extremos ramos miſſuri, truncis ſuis Arteriam Axillarem arcte complectuntur, nullus tamen ab ejuſdem arteriæ pulſu in digitis extremis ſenſus concitatur. Auferatur autem Brachium

chium arte Chirurgica, in extremis nervis truncatis, quasi in digitis, persentitur dolor. Sed ex his recte atque ordine ad nervorum vires exponendas deducimur.

Duplex est Nervorum vis. Siquidem a Nervis notitia earum rerum quæ animantis conservationem et salutem contingunt ad animum deferuntur; hinc sensus rebus percipiendis apti: quin et ab iisdem, Nervos dico, omnis movendi facultas, sive in musculis concontrahendis, sive in vasis tendendis et remittendis, derivari videtur.

De Sensu primum agamus, de cujus ratione Mechanica tam variæ tamque discrepantes sententiæ proferuntur paribus fere rationum momentis innixæ, ut id ipsum magno argumento cuivis prudenti fuerit doctissimos juxta cum ignarissimis eam nescire. His igitur sententiis recensendis, nedum nova aliqua ratione condenda, operam perdere non est animus; præsertim cum ex re nostra magis fuerit

 con-

conditiones quasdam proferre, secundum quas nostra percipiendi facultas exercetur.

Et primo, fere omnes, uno ore consentientes, dicunt in rebus percipiendis, res ipsas quidem agere, animal autem pati; quandoquidem nec lucem sole splendente apertis oculis percipere non possit quis, nec calorem si igni manus admoveatur, nec dolorem si torqueatur. Quæ omnia, licet vera esse concedantur, cum ad opinionem et vitam communem nostra accommodatur oratio, veritati tamen subtilitate philosophica limatæ minus conveniunt. Sæpe enim aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris oculis et auribus nec videmus nec audimus, ut facile intelligi possit animum ipsum et videre et audire, non eas partes quæ quasi fenestræ sunt animi; quibus tamen nihil sentire queat animus nisi id agat et adsit. Nonne in theatro nobis sedentibus, mille rebus

et oculos et aures ferientibus Actores ſoli videntur et audiuntur? Nonne in concentu muſico, ſonis et acutioribus, et mediis, et gravioribus ſimul aures noſtas pulſantibus, vel imis, vel mediis vel concentui integro auſcultandi nobis facultas data eſt? Ut enim cogitandi ſic percipiendi facultas ſeſe habere videtur: vigilantes quidem ut cogitemus neceſſe eſt, ex rebus autem oblatis hanc vel illam eligere animiſque noſtris verſare ſæpiſſime nobis conceditur.

Aliud eſt in omni perceptione externarum rerum notandum. Impreſſiones ſcilicet rerum ſenſibus objectaram non ſtatim evaneſcere; ſed tempus aliquod longius vel brevius pro robore facultatis percipientis permanere. Siquidem in rotis curruum ſumma celeritate circumactis, nulla radiorum aſpicientibus percipitur diſtinctio: nam, in motu illo celeri, radii cujuſque ſubſequentis ima-

go ſenſui prius imprimitur, quam ejus, qui ante ceſſerat, imago evaneſcit.

Eſt et aliud in ſenſuum externorum negotio animadvertendum, Species nimirum rerum ſenſibus oblatarum non eodem tempore menti obverſari, quo impreſſiones fiunt in ſenſus, ſed aliquo temporis ſpatio interpoſito. Membra enim ictu jaculi, tormento emiſſi, vel ſecuris acutiſſimæ, abrepta abſque doloris ſenſu ab ripiuntur: diſcinduntur enim nervi citius quam tenſionis ſenſus, in quo dolor conſiſtere videtur, ad animum, Cerebrum habitantem, deferri poteſt: cum, e contrario, membrorum lenta diſtentio fidiculis vel equuleo facta ſummum dolorem inferat, tenſis vel contortis, non diſruptis nervis.

Hactenus de eo perceptionis genere quod ſenſus Animalis appelletur. De ſenſu autem eo quo natura admonita motus

motus vitales vario [a] moderamine miniſtrat (quem ideo haud inepte Vitalem quis vocet,) nunc quædam dicenda.

Nemini certe ea quæ in Animalium corporibus geri ſolent paulo diligentius contemplanti vitæ et ſanitatis conſervandæ negotium in alimentis concoquendis, et in loca ſua digerendis, in ſanguinis motu nunc incitando, nunc cohibendo, in humorum Secretione et Excretione varia, ratione copiæ, temporis, qualitatis, moderandis, ſtabili quadam lege mechanica, non ſenſu quodam naturæ adminiſtrari veriſimile videbitur. Præſertim cum hæc ipſa adminiſtratio non certa quadam ratione geratur, ſed contra, pro rebus fortuito contingentibus varietur. Quid? in febrium acceſſionibus, pulſus varius, ſanguinis diſtributio inæqualis, varium tenſionis moderamen, in principio

[a] Legantur ea quæ de hoc moderamine docte pariter atque eleganter diſputat Francus Nicholls Medicus Regius in Prælectione ſua de ANIMA MEDICA.

ſtatu, declinatione morbi, in quibus rebus recte gerendis conſervatio animalis omnino vertitur, ſine ſenſu ut geri poſſint veriſimile eſt? Quid? in alimentis digerendis, Nonne in prima animantium ætate ſucci alibilis major pars in caput impenditur, in Cerebrum, in Nervos, in Aures, in Oculos? Deinde, puerili ætate, in Pectus, Cor, Pulmonem præcipue Corrivatur? Abſoluto deinde annorum numero ſeptenario ſecundo, in abdomen et locos genitales rivo copioſiore divertitur? donec tandem virili ætate adepta, diſtributione magis æquali per totum corpus diffunditur? Quid? in humoribus a ſanguine ſecernendis, nonne temporibus iis ſeparantur humores, quibus eos ſeparari uſus animalis poſtulat? Nonne eſurienti cibum in os ingeſturo ſaliva ſponte effluit? Nonne opus venereum aggreſſuro copioſiore ſanguinis affluxu Teſtes indureſcunt? Nonne fœminis in utero geſtantibus abundantiore humorum

rivo diſtenduntur Mammæ proli mox in lucem edendæ lac ſuppeditaturæ? Nonne fœtu in utero moriente laxatæ Mammæ ab opore inutili feriantur, lacte aquoſo partim effluente, partim in communem ſanguinis ſinum redeunte?

Quid de medicamentis dicam? Quæ alias alia faciunt pro ſenſu vitali nunc acriore nunc hebetiore, nulla ratione mechanica explicanda. Nonne a guſtu, viſu, ſæpe etiam memoria medicamentorum purgantium vel vomitum cientium ægritudines et vomitus et alvi dejectiones, obortas videmus, perinde quaſi ex rerum imaginibus male conſociatis, naturæque ſaluti noſtræ præpoſitæ impreſſis, haud ſecus ac ſi ex rebus ipſis concitarentur motus. Hiſce quidem omnibus, quæ rebus, non ritu quodam præſtituto eventuris, ſed fortuitis, et quibus lege nulla ſtabili ſatis provideri potuit, accommodantur, fabricam ullam Mechanicam præfici haud veriſimile videtur: at contra,

natura

natura quædam prudens præſit neceſſe eſt, cujus imperio et inſtrumenta corporis mechanica rebus caſu natis aptentur, et cujus ενεργεια et moderamine motus omnis inſtituatur intendatur, cohibeatur.

De altero Nervorum munere, eo ſcilicet quo motibus animalium præſunt, reliquum eſt ut dicam.

Horum motuum duo ſunt genera, quorum alterum muſculorum contractione efficitur, alterum tonum corporis varium reſpicit, motuſque Tonicus dicatur.

De ratione mechanica motus muſculorum, ut potui, alio tempore diſſerui; de hoc autem, nempe quod muſculorum alii voluntatis imperio ſubjiciantur, alii autem nobis nolentibus imo inſciis moveantur, pauca hic etiam dicenda ſunt.

Primum, motus illos non voluntarios quibus peragendis lege quadam mechanica naturam proſpexiſſe vulgo credimus, rebus caſu contingentibus

(in

(in quibus tamen recte gerendis ſanitas et ſæpe vita animantis vertitur) ita aptatos experimur, ut ſummo conſilio nihil melius vel geri vel excogitari poſſit: quod ex pulſus vario moderamine in principio, ſtatu, declinatione febrium ſatis patet. Animadvertendum eſt præterea muſculos illos, qui voluntatis imperio moveri ſolent, rebus animalis id poſtulantibus, etiam motibus invitis, ad ſanitatem vero reſtituendam conſpirantibus, contrahi, quod in Tuſſi, Vomitu, Partu fieri conſpicimus. Quid igitur? Nonne magis probabiliter hoc varium motuum moderamen, hanc incredibilem partium, a ſede morbi ſæpe diſtantium, ad ſalutem animalis conſpirationem, naturæ ſentienti et prudenti tribuamus; quam cæcæ neſcio cui cauſæ mechanicæ, quæ quia neceſſario agit, eodem ſemper modo agat neceſſe eſt.

Sequitur

Sequitur ut de eo motuum genere, quo Tonus corporis Vitalis intenditur vel remittitur, dicam.

Principio igitur notandum eſt, Tonum Vitalem a vi illa naturali (qua particulæ corporis minimæ ſive elementa ſibi invicem adhæreſcunt) ut etiam ab *elaſticitate*, multum differre. Quandoquidem vis illæ cohærentiæ naturalis, (ex qua etiam *Elaſticitas* pendere videtur,) cum particularum naturam, earumque compoſitionem conſequatur, et in vivo et in mortuo neceſſe eſt ut eadem ſit eademque rmaneat; donec putrore naturali compages ſolvatur. Contra, Tonum Vitalem horæ momento vel intendi vel remitti poſſe, animi perturbationes variæ evincunt, maxime vero lipothymia. Quo clarius autem fiat quid Vitalis Tonus in animante poſſit, imprimis animadvertendum eſt, Tribus omnino cauſis ſanguinem per corporis vaſa promoveri: quarum duæ, Contractio nempe Cordis et vis arteriarum

Elaſtica

Elaſtica, æquabili diſtributione humores ſuos cuique corporis parti ſuppeditant. Tertia autem, Tonus nimirum vaſorum tenſior vel remiſſior, humorum curſum quaſi habenis laxatis vel adductis ita flectit, cohibet, moderatur, ut rerum natarum diligentiſſime ratio habeatur.

Exemplo rem illuſtremus. Lacrymoſi humoris ſecretione tantum lacrymarum in oculos ſolet infundi, quantum ad eos lubricos et molles conſervandos ſatis eſt, ut declinent ſi quid noceat, et aſpectum quo velint, facile convertant. Pulviſculus acrior in oculum cadat. Statim, in Glandula Lacrymali toni moderamine mutato, lacrymæ effuſiſſimæ oboriuntur, ut abluatur pulvis irritans. In hac autem re id maxime notandum puto, nimirum, licet hæc lacrymarum effuſio ſenſui partis, cui pulveris ſtimulus admovetur, tribuatur, ſecus omnino ſeſe rem habere; ſiquidem, in exemplo propoſito, tunica oculi Adnata,

nata, vel Cornea irritatur; e Glandula vero Lacrymali ſatis ab his diſtante humor effunditur. Quod latius patet; utcunque enim in partium a ſe invicem diſtantium Sympathia explicanda viri doctiſſimi ingenia ſua torſerunt, neſcio cui nervorum commercio tribuentes quicquid hujuſmodi in animantibus conſpicitur, ut, cum ſternutamentum, ab acri quolibet in nares indito, ad conjunctionem Quinti et Sexti Paris Nervorum referunt, cum vomitum in morbis capitis quibuſdam obortum ſimili eorundem Nervorum conſociationi attribuunt, alia prorſus ratione rem ſeſe habere veriſimile puto. Siquidem natura hic, ut alias, inſtrumentis ad finem ſuum conſequendum aptiſſimis utitur, non quidem ratione commercii alicujus Nervorum inter partes *ſimul patientes*, ut dicitur, ſed ea poteſtate, qua in omnes corporis partes imperium ſuum exercet; quæ (naturam dico) cum manuum muſculis in rebus accipien-

dis,

dis, et linguæ musculis in loquendo utitur, eadem prorsus ratione, ut e naribus irritamentum sternuendo expellat, musculos pectoris; in morbis autem capitis, ut inter vomendum compressis vasis inferioribus, in caput sanguinem et copia et impetu solito majore impellat, causam qualemcunque morbi, sive obstruendo sive opprimendo noceat, amoturum, abdomins musculos adhibet.

Sed illuc redeamus unde est digressa oratio. In vario destillationum genere quid aliud conspicimus nisi materiam morbidam vel in nares, vel in fauces, vel in pectus apto Toni moderamine impulsam: in quibus, destillationes dico, humorem non æquabili et continuo rivo ferri videmus, sed intervallis, atque impetu vicibus quibusdam intermisso et repetito, pro vasorum Tono remissiore vel intensiore.

In eo autem inflammationum genere, quod *κριτικὸν* vocant medici, nihil

nihil plus vel ad ſalutem conſequendam, vel ad mortem inferendam valet, quam in partibus inflammatis varium Toni moderamen. Si arctius enim juſto conſtringantur vaſa, concluſo penitus ſanguine, putror et ſphacelus continuo conſequuntur, niſi ſanguinis miſſione et medicamentis demulcentibus, curſus liberior ſanguini reſtituatur. Sin autem, e contrario, in tenſione proroganda natura vel remiſſior æquo fuerit, vel in opere inchoato deficiat; aut crudior ſequitur ſuppuratio, et Criſis imperfecta; aut morbi veneno iterum ſanguini redito, quod in Peſte et Variolis ſæpe fit, mors ipſa ut brevi adveniat expectandum.

Toni autem Vitalis vis atque poteſtas in fluxu ſanguinis Critico maxime conſpiciuntur. Cujus generis ſunt Hæmorrhoidum fluxus, et fœminarum menſtrua purgatio.

De Hæmorrhoidum fluxus ratione nihil veriſimile ab iis dicitur qui vel ſanguinis copiæ, vel corporis ſtatui erecto,

erecto; vel fæcibus alvinis in recto intestino retentis et mora indurescentibus adscribunt. Nihil enim Medico proclivius esset, quam vel venæ sectione, vel schema corporis mutata, vel immisso in alvum clystere hisce causis, atque adeo ipsi morbo, occurrere. Quod tamen contra fit, nihil enim optanti prudens medicus minus promiserit quam præsens remedium dolori vel fluxui hæmorrhoidum. Siquidem hoc omne malum, utcunque a sanguine abundante tanquam a causa remotiore pendeat utcunque a venis fæcum indurescentium mole compressis, utcunque a corporis statu efferatius evadat, a tensione tamen venarum, ab intestino ad Hepatis Portas sanguinem deferentium, ut proveniat verisimile videtur. Venas enim constrictas et (qui consequitur) sanguinis reditum impeditum, vasorum distentio et dolor, et ruptio recte atque ordine excipiunt. Hisce confirmandis addatur, Hæmorrhoidum dolorem

 momento

momento temporis nunc acerbiſſimum ingraveſcere, nunc evaneſcere, quod a venis ſubito ſtrictis et laxatis fieri prorſus veriſimile eſt.

Menſtruum vero fluxum a venis tenſione conſtrictis fieri, haud improbabile cuiquam videbitur, ſi modo animum ad ea quæ menſibus inſtantibus et fluentibus fiunt adverterit. His ſiquidem inſtantibus, æſtus, et dolor, et gravitas partium Utero vicinarum urget, maxime vero lumborum et coxarum: a ſanguine nimirum in hæc loca ſolito copioſius compulſo. Deinde erumpit ſanguis, primum fluxu plerumque ſatis modico, in horas autem increſcente, non quidem æquis temporibus peræqua proportione, at, vicibus quibuſdam incertis, nunc parcior nunc copioſior pro vario toni moderamine, donec ad Acmen ſuam pervenit: exinde ſenſim, eadem vero ratione, parcior factus tandem ceſſat.

In

In hoc autem Hæmorrhagiæ genere et repetito et naturali, vaſa a vi ſanguinis diſrumpi minime veriſimile videtur: at contra, per oſcula vaſorum extrema, ſenſim aperta, ut ſanguini appulſo exitum concedant, ferri, et ratione et obſervatione probatur. Quæ res in mentem revocat ſimul et confirmat Veterum de Hæmorrhagiis doctrinam, noſtris temporibus fere obſoletam. Omnem ſcilicet ſanguinis fluxum a vaſis vel diſruptis, vel diſtentis, vel eroſis, vel apertis fieri. Primum genus Ρῆξιν Secundum Διαπήδησιν, Tertium Διάβρωσιν, Quartum Αναστόμωσιν Græci dicunt. Ex quibus Αναστόμωσις et Διαπήδησις tutiores, Ρῆξις et Διάβρωσις periculoſiores ſunt. Quam quidem ſententiam, cum ea, ſpectatis rerum cauſis, ſatis pateat, judicio Beneti noſtri hujuſmodi verbis confirmatam video. Sanguis per vices in pectus confertim fluens minus periculoſus, quam qui ſenſim et jugiter manaverit,

hoc enim Διαβρωσέως Symptoma, illud Αναςομωσέως.

Exposui vobis, Socii doctissimi, ea quæ de Cerebro et Nervis verisimilia novi; in quibus tractandis si fidi potius Historici, quam Physici acuti partes sustinuisse visus sum, quod, in Nervorum actionibus enarrandis occupatus, causas earundem Mechanicas prætermisi, id vel judicii vel inscientiæ meæ crimen habetote. Intelligebam enim quam difficili et scopuloso loco versarer, et cum naturæ summa obscuritate involutas veras, quas nesciebam, causas me scire haud arbitratus sum, nequid vani aut ficti, Vobis, harum rerum scientissimis, offerrem, profecto prohibebat verecundia.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

PRÆLECTIONIBUS ſuperioribus de fabrica et actione partium ſenſui et motui animalium præpoſitarum ea quæ mihi vel ſectione et experimentis certa, vel ratione et conjectura veriſimilia viſa ſunt, vobis expoſui, iis maxime immoratus quæ Phyſiologiam ſpectant; quanquam his etiam permulta ex intima Pathologia ducta immiſcere haud dubitavi. Corporis enim animalis naturam, partiumque ejuſdem uſum eum optime expoſiturum puto, qui actiones harum tam impeditas quam liberas animo contemplatus eſt; naturæque contra morbos inſurgentis motus vehementiores et inſolitos, rariſſime tamen temere inſtitutos, cum iis, qui in ſanitate placide et quaſi ex more peraguntur, confe-

ret; viresque exhaustas, oppressas, languidas, ab inertia naturæ vel torpentis, vel de salute sua desperantis recte dignoverit; rationem denique morborum cum Physiologia conjunxerit.

Cum igitur ea, quæ in morbis fiunt, in disciplina medica tanti momenti esse videantur, ut eorum natura ignota, etiam sanitatis ratio haud satis explicari possit; et cum ipsa Physiologia id sibi, tanquam finem et extremum, proponat, ut, perspecta animalis natura, morborum curationem prudentior atque instructior medicus aggrediatur, nihil præter officium meum facturus mihi videor, si, Prælectionibus insequentibus morbos nonnullos quibus Cerebrum et Nervi subjiciuntur, tractare, eorum Pathologiam exponere rationesque medendi tradere conatus fuero. Quam quidem rem eo libentius suscipio, tum quod de hisce morbis medici paulo confusius loqui soleant, tum quod cum iis quæ

ante

ante dicta ſunt naturali quodam nexu conjungantur.

A morbo igitur Attonito incipiam, quem Græci, nomine apud medicos magis trito, Apoplexiam appellant. Hoc malo correptus homo derepente proſternitur, ſenſu omni amiſſo, et plerumque motu, niſi quod pulſus et ſpiratio ſuperſint.

Cum autem Apoplexia morbus ſemper acutus, ſæpe etiam acutiſſimus, ſit, nec unquam non graviſſimum periculum homini inferat, operæ pretium erit diſpicere num hujuſce mali invaſuri ſigna quædam notari poſſint, quibus quis præmonitus omni diligentia morbum evitare ſtudeat cui præſenti fruſtra plerumque adhibetur medicina. Licet enim aliquando fiat, ut Apoplexia hominem derepente invadat, nec ſeſe imminentem ullo ſigno indicet, niſi tamen eam induxerit cauſa aliqua violentior et repentina, qualis eſt caſus ab alto, ictus, ebrietas, motus corporis vehementior, æſtus ſanguinis

ſummus a ſole fervidiore, vaſa corporis exteriora ſubito conſtricta a frigore vehementiore corpori æſtuanti admiſſo, præcedunt eam plerumque variæ in negotio vitali adminiſtrando perturbationes, quibus malum hoc futurum prædictum intelligamus.

Apoplexia enim imminente ſæpe caput grave fit, atque res externas moveri et in gyrum flecti, etiam in tenebris, quaſi ſentit ægrotus: huic etiam movendi poteſtas diminuitur, adeo ut in membris utendis tardior ſit et imbecillior: accedunt torpor et in ſomnum proclivitas: dormientem autem interturbant atque territant incubus et inſomnia: hebeſcit præterea mentis acies: memoria minuitur: dentes etiam inter dormiendum ſtrident: ſomnus autem ſolito profundior eſt, cum multo ſtertore.

Morbo autem inſtante, æger de dolore capitis aliquando gravi, ſæpius vero de acuto, queritur. Venæ, cum vaſis cæteris quæ collum atque caput perreptant,

ſanguine

ſanguine compulſo diſtenduntur. Accedit vertigo, et ſpecies quaſi muſcarum in aere volitantium primum oculis obverſantur; mox ipſæ tenebræ ſuperveniunt. Adeſt præterea ſurditas, et non raro vomitus, quo, compreſſis vaſis inferioribus corporis, humoribuſque vi et copia majore in vaſa ſuperiora projectis, ſanguinem in capite concluſum expedire atque promovere natura conatur. In oculis vaſa tunicæ Choroidis ſanguine nimis diſtenta hinc inde tandem crepant, unde oculi quaſi ſcintillis corruſcantibus perſtringuntur. Facies autem nunc ſummo rubore perfunditur, nimirum ſi ſanguis ſolito copioſior per capitis vaſa æqualiter diſtribuatur; Nunc autem expalleſcit, ſanguine ab exterioribus ad capitis interiora tenſione vaſorum inæquali pulſo. Quinetiam, inſtante Apoplexia, tinniunt aures, motibus vibrantibus atque palpitantibus agitantur muſculi, caput cum toto corpore contremiſcit, extremaque corporis

ris ſine cauſa manifeſta frigeſcunt. Hæc poſtrema, tremor ſcilicet et frigus, nervorum tonum debitum deficere, motumque humorum languidum, qui defectum eundem neceſſario conſequitur, apertiſſime teſtantur.

Ex concurſu horum ſymptomatum diverſorum patet id quod in ratione hujuſce morbi explicanda maxime facit, nimirum inæqualis humorum per corpus diſtributio; unde caput et Cerebrum, a ſanguine nimis abundanter in ea compulſo, atque quaſi concluſo, opprimuntur, dum reliquæ partes, deficiente humore debito, collabeſcunt; quocirca non ſolum motibus conſuetis peragendis impares evadunt, verum etiam calor naturalis admodum diminuitur.

Apoplexia autem præſens hiſce ſignis innoteſcit. Senſus omnino aboleri videtur, quin et plerumque motus, præter pulſum et ſpirationem. Miremini forſan me in Apoplexia motum non ſemper oboleri dicere, ſed plerumque

rumque tantum, cum in hujuſce mali definitione ab omnibus medicis traditum habeamus in Apoplexia omnes motus, præter pulſum et ſpirationem, omnino ceſſare. Attamen cum in ægrorum hiſtoriis, de quibus morborum deſcriptiones, ſi modo veras eas eſſe volumus, deſumi debent, non ſolum ſpaſmos quoſdam leviores, et palpitationes muſculorum, hujus morbi comites eſſe legamus; verum etiam cum a Wepſero ſcriptum ſit membra cujuſdam militis Apoplexia tacti rigidiſſima extitiſſe, ſalva ſpiratione; qui etiam (Wepſerum dico) convulſiones in aliis vehementiſſima Apoplexia proſtratis ſe obſervaſſe memorat, natura nimirum ad moleſtiam excutiendam inſurgente; concedendum eſt profecto non ſolum motum in Apoplexia ſupereſſe poſſe, verum etiam vim muſculorum maximam, eam nempe, qua in Tetano membra rigeſcunt.

Spiratio magna et laborioſa Apoplexiam fere comitatur, licet eandem

omni

omni modo inæqualem, ſive ſpirandi intervalla, ſive motus magnitudinem reſpiciamus, aliquando in hoc morbo obſervemus. In morbo autem vehemente adeſt ſtertor et rhonchus. Pulſus, a principio ſæpe magnus, morbo invaleſcente plerumque grandeſcit ſenſim major factus, donec, natura deficiente, debilis et parvus evadat. Facies aliquando multo ſanguine ſuffunditur, unde vel rubet admodum vel liveſcit; cum autem ſanguis inæquali vaſorum tono ad capitis interiora magis propellitur, pallet. At ſæpe homini morituro ſpuma ex ore defluit. Cum enim in hoc morbo vehementiore pulmo Paralyſi quaſi reſolvatur, eaque de cauſa humores, in Bronchias laxas et flaccidas, uberiores confluant, motu alterno ſpirandi aer atque humor in Bronchiis ſimul agitantur, atque exinde ſpuma conficitur, quæ ſenſim humorum jugi proventu aucta et in os ſpiritu protruſa exinde tandem fertur.

Symptomata

Symptomata inſigniora quibus Apoplexia ſtipari ſolet expoſui. Cum autem eorum quædam aliis morbis, diverſi admodum generis, ſint communia, res poſtulare videtur, ut propria primum a communibus ſecernamus; deinde, ut notas certas proferamus quibus Apoplexia a morbis ſpecie conſimilibus internoſci poſſit.

Signum Apoplexiæ proprium, et quod medici Pathognomonicum vocant, quia ex eo morbus dignoſcitur, eſt ſenſuum omnium abolitio cum ſtertore.

A Syncope autem Apoplexia dignoſcitur, quod in illa non modo ſenſus et motus voluntarius omnino abolentur, ſed etiam motus Vitales ceſſant: in Syncope enim deficiunt pulſus et ſpiratio, quæ in Apoplexia, niſi homine ſtatim morituro, ſuperſunt; atque adeo in Syncope nullus eſt ſtertor, qui tamen in Apoplexia vehementiore fere ſemper adeſt.

Porro

Porro, inter Apoplexiam atque Caron et Lethargum hoc intercedit; in Caro et Lethargo aliquis quidem senſus, utcunque exiguus ſupereſt, in Apoplexia autem nullus.

A Catalepſi autem Apoplexiam internoſcamus, quod in illa, licet omnes ſenſus externi ceſſare videantur, Cataleptico tamen vis muſculoſa integra ſupereſſe videtur, non enim hoc malo correptus humi proſternitur, ſed ſchemam corporis eandem retinet quam primum correptus habuit: quinetiam ſi ſtantem Catalepticum de loco in locum protruſeris, ipſe tamen ſeſe erectum tenet, nec ſtatum corporis denuo ſponte mutat. Ex quibus perſpectis Catalepſios vera ratio patet: quæ in hoc conſiſtere videtur, ut animal graviore aliquo malo vel cura perculſum et quaſi raptum, illis quæ ſenſibus objiciuntur parum commoveatur. Quam quidem ſententiam meam confirmare videntur Catalepticorum hiſtoriæ. Plerique enim eorum

qui

qui mirabili hoc morbo detinentur, vel perturbatione mentis gravi aliqua, amore nimirum vel terrore, perculſi, motu omni corporis inhibito quaſi congelati conſiſtunt: vel ſtudiis indefeſſis rerum reconditiorum occupati, ita toti hiſce contemplandis inſunt, ut res ſenſibus objectas vel minime percipiant vel perceptas negligant: Vel denique morbo aliquo, ſcabie nimirum vel podagra, repulſo, et a corporis ſedibus exterioribus in Cerebrum converſo, obſtupeſcunt.

In natura autem hujuſce mali exquirenda minime prætereundum eſt quod in obſervationibus medicis duas ejuſdem ſpecies memoratas legimus: primam habetis deſcriptam; in altera autem, homo non ſolum quietus corporis ſtatum eundem retinet qui correpto affuit, nec vocatus audit; verum etiam ita plane rigeſcit, ut nec moveri nec flecti ejuſdem membra ulla ratione poſſint. Hujuſmodi igitur morbo affecti iis qui Tetano corripiuntur omnino

omnino ſimiles ſunt, niſi quod his ſenſus integri ſuperſint, quippe vident, audiunt, animadvertunt, intelligunt, et, diſtentis muſculis, ſummo dolore ſe torqueri ſentiunt; illis autem nec rei ullius ſenſibus objectæ, nec doloris, ulla perceptio adeſſe videtur.

Differt Apoplexia ab Epilepſia, quia licet in hac omnis ſenſus aboleatur, membra tamen, atque ſæpiſſime totum corpus motibus variis exagitantur, et tametſi in Apoplexia aliquando poſſit accidere, ut fortiore quodam conatu naturæ contra hoſtem inſurgentis, artuum aliquis nonnunquam ſpaſmis contrahatur, vel Tetanus etiam oboriatur; haud tamen idcirco Apoplexia et Epilepſia a ſe invicem difficiliter internoſcantur; licet enim nonnunquam Apoplexiæ convulſionem ſuperveniſſe compertum ſit, raro certe aut nunquam totum corpus variis motibus hinc inde agitatur: ſed frequentius partem aliquam ſingularem veluti pedem vel brachium, nec longo tem-

pore

pore ſpaſmus exercet: nec in Epilepſia dormientis ſpeciem videmus, nec ſtertor, qualis in ſopore auditur, adeſt: præterea, Epileptici vultus atque color varie atque ſubito mutantur, quod in Apoplexia ſecus eſt.

Apoplexia denique a morbo, illo quem Strangulatum ab utero dixere veteres, facile dignoſcitur, quod nec cauſas eaſdem manifeſtas conſequatur, nec ſigna eadem præcedentia habeat: præterea, in uteri Strangulatu ſenſus aliquis ſemper adeſt, quod contra fit in Apoplexia: Nec in illo ſtrangulatu ſtertor, niſi caſu, adeſt: poſtremo in hoc urina multa atque aquoſa fertur, in Apoplexia, contra, craſſa et turbida, auctore Foreſto.

De Apoplexia porro notandum eſt, non omnem ætatem, nec quamvis corporis conſtitutionem huic morbo ex æquo ſubjici; illis enim familiarior eſt, qui annum quadrageſimum ætatis ſuæ exceſſerunt. Viris præterea magis quam fœminis accidere dicitur, illis præſer-

tim quorum vaſa humore nimis abundante diſtenduntur, ſive ſanguineo ſive pituitoſo ægri temperamento ſint. Si medicos quidem antiquos audiamus (quanquam a ſanguine nimis abundante Apolexiam aliquando provenire concedant,) ſæpius tamen eam ab humoribus lentis atque pituitoſis concitari exiſtimandum eſt. Senes enim quibus corpus craſſum atque pituitoſum eſt, et eos qui deſtillationibus et anhelatione (quam Græci Ἆσθμα appellant) affici ſolent, maxime Morbo Attonito rapi ſcribunt.

Ad cauſas Apoplexiæ exponendas venio, ſunt autem vel propiores vel remotiores.

Inter cauſas hujuſce morbi remotiores primum numeratur ſanguinis abundantia, ſive a diæta plena, atque facile in ſanguinem mutabili proveniat, ſive a labore conſueto intermiſſo foveatur, vel ab iis quæ excerni ſolent retentis vel ſuppreſſis. Huc ſpectant Menſium atque Hæmorrhoidum

fluxus

fluxus intermiſſus, excretio cuticularis impedita, conſuetaque per alvum expurgatio omiſſa.

Alia ex cauſis remotioribus eſt materiæ cujuſdam morbidæ expulſio vel ſuppreſſa vel omiſſa. Teſtantur podagrici, qui, poſtquam vis morbi in corporis extrema impetum factura retro agitur, vel cum, ob vires venæ ſectione, vel alvi purgatione improvide diminutas, natura ſponte et quaſi conſilio morbum per conſueta corporis loca expellere omittit, non raro in Apoplexiam incidunt, morbi onere, perverſo et temerario naturæ coeptu, in Cerebrum depoſito. Eadem ratione alios, ſanatis ulceribus a quibus ſerum acre longo tempore manaverat, Attonitos periiſſe paſſim apud ſcriptores medicos memoratum legimus. Exitu enim per loca conſueta denegato, in Cerebrum tranſlatione pernicioſa convertitur virus.

Vereor autem ne in iis, quæ modo de excretione ſuppreſſa et omiſſa dixi,

UNIVERSITY OF MARYLAND LIBRARY SCHOOL OF MEDICINE

paulo obſcurior fuerim, atque adeo ne quid inter excretionem ſuppreſſam et omiſſam intereſſe velim ſatis aſſecuti ſitis: explicatius igitur dicam. In omni motu, quem medici Criticum vocant, tam inſtituendo, quam prorogando, nulla vi aut neceſſitate mechanica natura impelli videtur; ſed ipſa, quaſi futuri præſcia, viribus ſuis ad finem conſequendum aptis utitur, ſi modo eum ſe conſequi poſſe veriſimile arbitratur: ſin id ſecus eventurum videtur, conatum omnem, ne quid fruſtra moliatur, omittit. At in motus critici ſuppreſſione alia eſt omnino rerum ratio: naturæ enim omnia recte molienti vis externa infertur. Ut cum ſerum acre ab ulcere deſtillaturum ope Chirurgica cohibetur, vel cum, præſente podagra, Cataplaſmate aſtringente morbus a pede depellitur.

Non vereor autem, dum huic diſtinctioni illuſtrandæ paulo longius immoratus ſum, ne vobis, medicis peritiſſimis, rem inanem perſecutus fuiſſe, et

et leves verborum definitiones protulisse videar; cum in præsagio medico nihil illa distinctione adhuc habeamus vel gravius vel verius. Nam profecto compertum habetis, naturam ferocientem sæpe comprimi, languentem nonnunquam excitari, atque erigi, cessantem autem plane, et officium suum recusantem, vix unquam ut id quod factu opus est exequatur, ullo modo impelli posse.

Sed ad causas Apoplexiæ remotiores redeamus, inter quas sanguinem justo spissiorem uno quasi ore agnoscunt medici. Hanc autem spissitudinem dividunt in eam quæ a motu atque calore nimio oritur (unde sæpissime fieri dicunt, ut sanguinei, pleni, atque ii quorum vasa sunt contentiora Morbo Attonito corripiantur) et in eam quæ a sanguine inerti et viscoso, qualis in senibus crassis atque pituitosis reperitur. Si de hisce causis sententiam meam proferre liceat, multa quidem faciunt ut

ſubdubitem an unquam ab humorum illa ſpiſſitudine, quæ in ſanguine inflammato adeſſe creditur, exorta ſit Apoplexia. Quandoquidem in morborum hiſtoria inauditum eſſe puto quemquam vel in Cauſo vel in aliis febribus vere Apoplecticum e vita exceſſiſſe; quod contra fieri debuit, ſi ſanguis, ideo quia a calore concretus eſſet, in Cerebri vaſculis unquam conſtitiſſet. Nec me de ſententia dimovent comata, ſopor, atque alia id genus ſymptomata quæ Phrenitidi atque aliis febribus ſuperveniunt: longe enim plerumque a vera Apoplexia et ſpecie et cauſis diſtant; eorumque ratio veriſimilior reddi poteſt quam illa, quæ a ſanguine inflammato atque ſpiſſo in vaſculis Cerebri conſiſtente deducitur.

Quod autem a ſpiſſitudine ſanguinis pituitoſa exoriri poſſit Apoplexia comprobare fortaſſe videantur obſervationes veterum, qui ſenibus frigidis, ſegnibus, et iis qui deſtillatione, viſco-

ſa

ſa potius quam acri, ſæpe tentantur, hunc morbum maxime familiarem eſſe ſcribunt. Cum autem hanc cauſam diligentius verſor atque contemplor, et cum iis, quæ in Leucophlegmatia atque Chloroſi junioribus accidunt, confero, parum abeſt quin eam etiam rejiciam; motumque vaſorum deficientem, in apoplecticis pituitoſis, potius arguam, quam humores ſua ſpiſſitudine vias ſibi ipſis intercludentes.

Melior eſt cauſa eorum qui ſanguinis partem craſſiorem in corpora Polypos referentia nonnunquam cogi, atque hæc vel ſenſim aucta, vel æſtu ſanguinis a corde projecti abrepta, et in ramos arteriarum Caroticarum impetu adacta, tranſitum ſanguinis ad Cerebrum intercipere dicunt. In hac re diſcutienda multus eſt Wepferus, qui Tulpium, ut videtur, ſecutus, Polypos ipſos corpora pituitoſa nomine quidem maxime alieno appellat: nam res contra ſe habet; e ſanguine enim

 optime

optime constituto, si ipsum e tunsa vena in vas idoneum prosilientem bacculo quis circumagitaverit, maxima copia concretum illud efficitur: quod Ruyschius jampridem docuit. Sed de ortu et natura hujusce materiæ hic non est differendi locus: Videant potius illi qui ipsam inter causas Apoplexiæ referunt, quia facile fieri posse autumant ut ea arteriæ Carotides et Vertebrales obstruantur, atque adeo, denegato sanguinis aditu ad Cerebrum, æger Apoplexia concidat, Videant inquam, annon illi, quibus ab hac causa sanguinis cursus sistitur, Syncope vel Lipothymia potius quam Apoplexia moriantur: attamen, re satis intellecta, in verbis simus faciles.

Causas Apoplexiæ propiores, eas nimirum quæ Cerebrum ipsum contingunt, ad quatuor commode referri posse puto. Nempe ad humorem aliquem copia majore justo in vasa Cerebri compulsum atque congestum: vel ad eundem e vasis suis intra Cal-

variæ

ſa potius quam acri, ſæpe tentantur, hunc morbum maxime familiarem eſſe ſcribunt. Cum autem hanc cauſam diligentius verſor atque contemplor, et cum iis, quæ in Leucophlegmatia atque Chloroſi junioribus accidunt, confero, parum abeſt quin eam etiam rejiciam; motumque vaſorum deficientem, in apoplecticis pituitoſis, potius arguam, quam humores ſua ſpiſſitudine vias ſibi ipſis intercludentes.

Melior eſt cauſa eorum qui ſanguinis partem craſſiorem in corpora Polypos referentia nonnunquam cogi, atque hæc vel ſenſim aucta, vel æſtu ſanguinis a corde projecti abrepta, et in ramos arteriarum Caroticarum impetu adacta, tranſitum ſanguinis ad Cerebrum intercipere dicunt. In hac re diſcutienda multus eſt Wepferus, qui Tulpium, ut videtur, ſecutus, Polypos ipſos corpora pituitoſa nomine quidem maxime alieno appellat: nam res contra ſe habet; e ſanguine enim

optime constituto, si ipsum e tunsa vena in vas idoneum prosilientem bacculo quis circumagitaverit maxima copia concretum illud efficitur: quod Ruyschius jampridem docuit. Sed de ortu et natura hujusce materiæ hic non est disserendi locus: Videant potius illi qui ipsam inter causas Apoplexiæ referunt, quia facile fieri posse autumant ut ea arteriæ Carotides et Vertebrales obstruantur, atque adeo, denegato sanguinis aditu ad Cerebrum, æger Apoplexia concidat, Videant inquam, annon illi, quibus ab hac causa sanguinis cursus sistitur, Syncope vel Lipothymia potius quam Apoplexia moriantur: attamen, re satis intellecta, in verbis simus faciles.

Causæ Apoplexiæ propiores, eæ nimirum quæ Cerebrum ipsum contingunt, ad quatuor commode referri posse puto. Nempe ad humorem aliquem copia majore justo in vasa Cerebri compulsum atque congestum: vel ad eundem e vasis suis intra Cal-

variæ

variæ cavum effuſum: vel ad materiem morbidam Criſi mala in Cerebrum depoſitam: vel denique ad venena quædam ſoporem inferentia. Singularum harum cauſarum quæ ſit vis atque ratio videamus.

In plurimis eorum, quibus imminet Apoplexia, adeſt (quod jam in Symptomatis enumerandis indicavimus) capitis gravitas, et pulſatio, et torpor, et ſcintillæ oculis obverſantes, et aurium tinnitus, totiuſque faciei ſæpe rubor, aliquando autem pallor: e quibus ſolis conjectura ſatis probabili colligimus ſanguinem juſto copioſiorem in caput compulſum: quam porro conjecturam cadavera hoc morbo peremptorum ſecta comprobant. Ramos enim vaſorum Tenuem Meningem perreptantium et in ipſum Cerebri Corticem deſcendentium miris modis ſanguine diſtentos, quinetiam ipſam Meningem Tenuem, a vaſis ejuſdem minimis cruore conſiſtente farctis, rubedine perfuſam ſæpe docuerunt

Apo-

Apopleĉticorum capita ſeĉtione reclu-ſa. Quæ quidem res Hippocratem auĉtorem vetuſtiſſimum haud effugiſſe videtur, qui cauſas Apoplexiæ tradens de venis in capite calefaĉtis et plenis loquitur, et oculorum, caliginem hunc morbum præcedentem τῷ ἐγκεφάλῳ προσκειμένῳ καὶ φλεγμαίνοντι adſcribit! Quod etiam Galenum, cætera omnia de hujuſce morbi cauſa, aliena profe-rentem, vidiſſe conſtat. In eo enim libro quem de curatione per venæ ſeĉtionem ſcripſit Apoplexiam ſuper-venire dicit ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ ζώου ῥυέντος ἀθρόως αἵματος πολλοῦ.

Attamen ſanguinem confertim in Cerebrum ruentem et in vaſis admo-dum diſtentis conſiſtentem, leviorem tantum Apoplexiam, qualem Hippo-crates ſolvi quidem poſſe, difficiliter tamen, ſcribit, efficere veriſimile vi-detur. At cum diu perſtiterit ea va-ſorum contentio qua ſanguinem in caput propelli diximus, nec tamen eo impetu ſanguis compulſus ſit ut vaſa diſtenta

diſtenta diſrumpantur; ſecedit ſenſim a ſanguine pars ejus aquoſa tenuior per vaſorum tunicas quaſi percolata, quæ inter fila reticulatæ telæ Tunicam Araneam Tenui Meningi nectentis diffuſa, Hydropem earum membranarum quaſi Anaſarcam efficit. At idem ille humor ſenſim abundantior totum Cerebrum inundat macerat, comprimit, et Apoplexiæ vehementioris ſymptomata infert. Confirmat hæc omnia hominum Apoplexia peremptorum ſectio, ſiquidem in his laticem aquoſum in omnem Cerebri partem ſæpe diffuſum ſcriptores memorant, inter Craſſam Meningem nimirum et tunicam Araneam, inter hanc et Tenuem Meningem, quinetiam hanc ſubiiſſe, et Ventriculos Cerebri impleviſſe paſſim apud authores traditur.

Et hoc quidem in loco notaviſſe haud alienum erit, veriſimile eſſe tenuiorem ſolum ſanguinis partem, non ſerum ſpiſſius, nedum pituitam, in morbi conſtitutione modo deſcripta,

ex

ex vaſis effuſam, aut aliunde natam, unquam repertam fuiſſe; licet apud authores minime leves, quinetiam apud ipſum Wepferum, ſi recte memini, ſcriptum legatur ſerum quoddam tenax et lentum juſculo cornu cervi frigido et concreto ſimile, et in hoc morbo, et in infantum Hydrocephalo, circa truncos vaſorum et ad totam Cerebri baſin ſæpiſſime adhærere. Quod tamen mihi, rem animo contemplanti, ſecus eſſe videtur: ſiquidem lympha, inter fila tenuiſſima tunicæ araneæ reticulata, atque laminas pellucidas ejuſdem membranæ effuſa, haud inepte ſpeciem humoris alicujus congelaſcentis referat. Cujus ſimile quid in oculi Humore, Vitreo dicto, conſpicimus; qui cum ex vaſis tenuiſſimis lympham pellucentem vehentibus totus conſtet, vitrum quaſi liqueſcens refert, nomenque ſuum apud veteres a ſimilitudine ſortitus eſt.

Hæc autem Apoplexiæ ſpecies, quæ humore Aquoſo in Calvariæ cavum

effuſo

effuſo exoritur, eo nomine maxime eſt animadvertenda quod a cauſa ſenſim invaleſcente producta non derepente hominem aggrediatur, ſed ſymptomatis in dies gravioribus tarde atque pedetentim obrepens, adventus ſui haud obſcura indicia faciat, quibus æger præmonitus gliſcenti cauſæ tempeſtive occurrere poſſit. Siquis igitur intra ſenectutis limen conſtitutus de diuturna capitis gravitate indies invaleſcente, atque vertigine crebra conqueſtus fuerit, ſi dolores capitis gravitatem conſecuti fuerint, obortaque ante oculos caligo frequens adſpectum rerum ademſerit, aut ipſa cæcitas ſupervenerit, ſi his acceſſerit ingens ſomni cupiditas, frequentique incubo atque gravibus inſomniis quies interturbata fuerit, ſi memoriæ inſuper lapſus frequentior, vel ejuſdem magna diminutio fuerit, artuumque, maxime pedum, topor et impotentia immobilis, lectumque ſæper perminxerit æger, huic Apolexiam aquoſam immi-

imminere haud fallaci conjectura prædixerit medicus.

Jure autem de humore aquoſo quis fortaſſe quærat cur is in Calvariæ cavitatem fuſus et coacervatus inter Apoplexiæ cauſas numeretur? Cum in medicina plane inauditum ſit, niſi forte in acceſſione Epileptica ſanguine vehementius in caput compulſo, puerum Apoplexia correptum de vita deceſſiſſe, cum tamen Hydrocephalus internus huic ætati morbus ſit ſatis familiaris. Sed alia certe ratio eſt puerorum, alia ſenum, Hydrocephalo laborantium: cum in illis eximia filorum, e quibus membranæ contexuntur, laxitas, oſſiumque mollities carnis æmula, hujuſce morbi in pueris comes individua, aquæ in Calvaria congeſtæ facile locum cedant, nec patiantur ut Cerebrum (licet flaccidum, imo difluens, longa maceratione in hiſce poſt mortem ſectione ſæpe repertum ſit) compreſſione lædatur. Cum contra in ſenibus oſſium robur et rigiditas,

Sutu-

Suturarumque juncturæ non amplius dissociabiles quicquid humoris in Calvaria conclusum est in Cerebrum subjectum reprimant necssario.

At Apoplexiæ capitalior nulla est causa quam cum sanguis e vase disrupto, sive arteria sive vena ita confertim in Calvariæ cavum diffunditur, ut, compresso exinde Cerebro, sensus atque motus statim deficiant. Hinc Apoplexiam illam vehementem, quam Hippocrates insanabilem habebat, exoriri est verisimile. Ipsa autem hæc sanguinis effusio ex pluribus causis provenire potest: quarum frequentissima est tonus vasorum inæqualis, maxime in iis quibus sanguinem abundantiorem motu perverso in vasa capitis vehementius natura impellit: cui causæ consimilis est externarum corporis partium frigidiore cœlo contractio. Non temere igitur hyeme quam cæteris anni temporibus frequentiorem esse Apoplexiam tradidit Hippocrates. Alia causa est, sanguis in vasis copiosior

ſior a re quacunque commotus, ſive animi perturbatione aliqua graviore, ſive corporis exercitatione inſolita, ſive cibo et potu acriore, ſive medicamento. Omitto vehementiores corporis contentiones in tuſſi, vomitu, partu, acceſſione Epileptica, atque vim illatam capiti caſu, ictu, vulnere, quorum omnium vis in Cerebri compage ſolvenda ſatis per ſe patet. In hoc Apoplexiæ genere, eo nimirum quod a vaſe diſrupto oritur, id maxime notandum eſt, quod rariſſime diu ante acceſſionem præſentitur, ſed gravitate atque aliis ſignis diſtentionis in capite aliquantiſper nonnunquam prægreſſis, homo ex improviſo plerumque corruit.

Sequitur tertia Apoplexiæ cauſa, tranſlatio materiæ cujuſdam morbidæ ad ſenſus principium; quam quidem cauſam multa oratione perſequi prohibet rei evidentia; cum compertiſſimum ſit ſenes eos quibus ex ulcere a longo tempore ſerum acre diſtillans repreſſum

repreſſum fuerit, et quibus diſtillationes in pulmonem conſuetæ ſubito cohibitæ fuerint, et quibus materia podagrica, antiquatis quaſi ſolitis periodis, artus deſeruerit, ſenſuum omnium abolitione repentina cum ſtertore, atque ſpiratione rara et profunda, ſæpe interire.

Quarta Apoplexiæ cauſa comprehendit ea quæ vi quadam narcotica perceptionem omnem vel opprimunt vel deſtruunt, qualia ſunt Vinum, Opium, et alia id genus torporem atque ſomnum lethalem inferentia. Cum autem hæc cuilibet ætati ſint communia, nec, ideo, Apoplexiam, ſenilem morbum, proprie reſpiciant, horum meminiſſe ſatis ſit, ut quibus modis Cerebrum ita affici poſſit ut ſenſus motuſque pereant, cauſarum enumeratione pleniore inſtructiores, inſequente prælectione exponamus.

PRÆLECTIO V.

QUANDOQUIDEM a Cerebro ſenſus atque motus animantis tanquam a primario animi inſtrumento pendeant, in natura Apoplexiæ exquirenda id imprimis ſtatuendum videtur, quibus modis Cerebrum ita poſſit affici ut ſenſus atque motus pereant, deinde, quid cauſæ propiores prælectione ſuperiore expoſitæ faciant.

Triplex omnino eſt ratio qua Cerebri vis in rebus ſentiendis et motibus gerendis aboleri poſſe videtur. Prima eſt, ſi Cerebri fabrica deſtruatur; altera, ſi meatus vel vaſa ejuſdem minima obſtruantur; Tertia ſi Cerebrum vi comprimatur.

In hiſtoriis eorum quos vis Apoplexiæ rapuit (ut de Cerebri fabrica deſtructa

deſtructa primum dicam) non ſolum Cerebri faciem ſanguine ſæpe ſuffuſam legimus, anfractuſque ejuſdem diſtentos et quodammodo ſolutos, verum etiam ejuſdem partem medulloſam laceratam et fiſſam, Ventriculis Cerebri ſanguinis effuſi mole diſruptis: adeo ut iis quæ in Calvariis Apoplexia peremptorum recluſis oculis fidelibus fuerint ſubjecta, ſatis comprobatum ſit, quod homo Attonitus aliquando corruat, quoniam ipſi Cerebri fabrica a mole ſanguinis effuſi ſit deſtructa.

An autem ab humore aquoſo ſolvatur unquam Cerebri fabrica (licet minime negarem id fieri poſſe aliquando) non tamen perinde mihi conſtat; cum nunquam me apud authores legiſſe meminerim manifeſtam continuitatis ſolutionem (ut loqui ſolent medici) in Apoplexia aquoſa contigiſſe. Nec tamen rem paulo conſideratius contemplanti mirum videbitur, ſi in Apoplexia aquoſa Cerebrum rarius diſrumpatur; Alia ſi-

 quidem

quidem eſt ratio ſanguinis ex rupto vaſe confertim in Cerebri Ventriculos irruentis, alia aquæ his in locis collectæ; lente enim et pedetentum colligitur, ejuſdemque contactu jugi medulloſa Cerebri fila macerata ſenſim emolleſcunt, atque adeo facile humoris copiæ cedentia producuntur. Nec deſunt obſervationes quibus confirmatur lentorem, ſi ita dicam, filorum medulloſorum longa maceratione induci poſſe. Nam apud Veſalium legimus, ut alios omittam, puellæ Hydrocephalo interno laborantis Cerebrum in capitis vertice aqua diſtentum, ventriculis admodum adauctis, ita tenue repertum fuiſſe, ut membranam plane referret.

Quod a Cerebri obſtructione oriatur aliquando Apoplēxia multi quidem ab omni ævo medici affirmant. Sed, ut omittam ea quæ Hippocrates de Phlegmate in venas calore attracto, et in iiſdem motum ſanguinis congelatione quadam cohibente, ut etiam ea

quæ

quæ Galenus, invitis obſervationibus Anatomicis, de Ventriculis Cerebri principibus humore craſſo et frigido oppletis protulit; ipſe Wepferus, qui, in obſtructionis ratione diſcutienda, et cæteris explicatior, et ad veritatem propenſior mihi videtur, ita incerta quædam, ita ipſi experientiæ contraria proponit, ut in hac re obſcuriſſima adſenſionem noſtram omnino retinendam cenſeam.

Quod autem ab humore copioſo in Calvariæ cavitatem effuſo Cerebrum neceſſario comprimatur, nemini quidem dubium eſſe poteſt, qui vim humoris concluſi et quaquaverſum prementis, Cerebrique naturam mollem atque teneram ſimul animo contemplatus eſt.

Quocirca Wepfero doctiſſimo minime aſſentior, qui Apoplexiam, a vaſe Cerebri diſrupto, propter rivum ſanguinis per Cerebrum tranſituri deficientem, frequentius oboriri putat, quam propter Cerebrum mole humoris effuſi

compreſſum: perinde quaſi per arteriam quamlibet Tenuis Meningis apertam tanta ſanguinis copia a Cerebro diverti poſſit, ut in cæteris ejuſdem vaſis id deficiat quod functionibus animalibus peragendis aliquo ſaltem modo poſſit ſufficere. Aut quaſi veriſimile ſit in Apoplexia, a vaſe intra Calvariam diſrupto, ſæpe rem ita ſeſe habere, ut animi deliquio homo prius deficiat quam Cerebrum mole ſanguinis effuſi compreſſum omni functioni peragendæ ineptum evadat: Quod rariſſime quidem fieri puto, et non niſi truncis arteriarum mox ab earum in Calvariam ingreſſu diſruptis. Quinetiam id ipſum confirmare Apoplecticorum Hiſtorias quas conſcriptas nobis dedit Wepferus, ſi quis recte colligat, concedendum eſt.

Ex Apoplexiæ cauſis reſtat adhuc quædam occultior, qua quis in extrema ſenectute conſtitutus, vel cui vires a natura inſitas effrænis voluptatibus maturius ſunt attritæ, ex improviſo deficit;

deficit; nec hujuſce caſus repentini ulla cauſa ſatis idonea, in Cerebro, ſectione invenitur, ſive ea in vitio quodam fabricæ reconditiſſimæ in Medulla lateat, ſive potius naturæ neceſſitate vita ſenſim langueſcens diuturnitate demum extinguatur.

Venio nunc ad ea ſigna proponenda, quibus in hoc moıbo præſentibus, vel ſalutem prædicamus, vel alium morbum expectemus, vel mortem denique extimeſcamus.

Apud Hippocratem legimus vehementem Apoplexiam ſolvi non poſſe, leuem etiam non facile: cujus rei ratio ſatis patet, ſi eam Apoplexiam, quæ a vaſe aliquo Cerebri inſigniore diſrupto exoritur, vehementem appellitaviſſe Hippocratem credamus; præſertim ſi Arteria ſoluta fuerit: Cum ſanguinem hic loci magno impetu proſilientem nec cito ſiſti poſſe ſpes eſt, nec veriſimile eſt, ut qui ſemel copioſe effuſus ſit, is iterum in vaſa prompte recipiatur. Apoplexiam autem ſolu-

tam ſæpe excipit Paralyſis, quæ, ſi totum corpus, excepto capite, reſolutum ſit, Paraplegia dicitur, ſin autem latus alterutrum, Hemiplegia. Quibus res magis proſpere ſuccedit, iis membrum quoddam, brachium nimirum vel pes reſolvitur. Miſera tamen plerumque eſt eorum ſors qui, Apoplexia ſoluta, ſuperſunt. Vivunt quidem quodammodo, at rariſſime convaleſcunt, alterutro enim latere, quin et lingua plerumque reſolutis, ingenioque ſimul cum memoria pereunte, debiles, timidi, et cauſa leviſſima in lacrymas effuſi, prorſus repueraſcunt.

Solvitur Apoplexia aliquando ſanguinis fluxu a naribus confertim prodeunte; quinetiam morbum eundem excretione muci plurimi ab ore ſanatum memorat Sennertus. Sudor præterea, ſi ubertim atque æqualiter de toto corpore calidus dimanaverit, ſpem ſalutis facit. Sin autem e contrario ſudores frigidi, viſcidi, inæquales atque, propter impeditum ſpiritum ferantur,

mortem

mortem brevi adfuturam prænunciant; naturam enim oppreſſam, ejuſdemque vires moleſtiæ diſcutiendæ impares oſtendunt. At ſi ſanguis ab utero, præſertim ſi menſtruorum tempore conſueto fiat, aut a venis Ani recluſis, copioſe profluxerit, ſalutis ægro rediturae magna eſt expectatio. Nam primum, ſanguinis in corpore abundantis copia hujuſmodi excretione minuitur; deinde ſanguinem ad corporis partes inferiores copioſius propulſum, et, quod conſequitur, vaſa capitis levata, morbique ſolutionem inceptam reſerata uteri atque recti inteſtini vaſa ſatis aperte indicant.

Cum autem a repulſu materiæ cujuſdam morbidæ, ſive motu quodam naturæ inepto, ſive aliena medendi methodo id fiat, depoſita in Cerebrum morbi cauſa, Apoplexia exoriatur; feliciter ſolvitur aliquando priore morbo revocato, factaque ſic excretione ſalutari: quod podagricis et anhelis ſatis eſt familiare.

Jampridem

Jampridem dixi Apoplexiam vehementiorem esse insanabilem, levem etiam difficilem: attamen ægrum convalescere posse spes est, si spiritus liber atque æqualis maneat; si potum oblatum æger haurire queat; si sensus aliquis adhuc supersit; neque movendi potestas omnino sit sublata: at iis quibus spiritus ægre et quasi constricto pectore ducitur; et quibus spirandi motus, et temporis et magnitudinis ratione, inæqualis est; et quibus stertor profundus et rhoncus est; maximam partem moriuntur.

Mortem etiam imminentem cognoscimus, si humores in Bronchiorum ramulos ubertim confluentes, et simul cum aere inter spirandum commixti, atque in spumam agitati ex ore ferantur. Refert tamen, auctore Sennerto, an spuma in Attonitis ab humore pituitoso, aeris motu, inter spirandum spumescente, a narium cavo derivetur; an revera ab ipso pulmone proveniat: cum enim omnis excretio pituitosa

Apoplecticis conveniat, ſi pituita multa a capite deſcenderit, inter ſigna ſalutaria eſt referenda utcunque ſpumeſcat: ſpuma autem illa quæ a pulmone reſoluto fertur, lethalis eſt habenda.

Porro in Apoplexia obſervant exercitatiores medici pulſum arteriarum morte appropinquante ſæpe increſcere, ſpiritum vero profundiorem atque rariorem duci. Sudores autem leves, quos ἐφιδρώσεις Galenus appellat, frigidos etiam, nec a toto corpore æqualiter dimanantes, quandoquidem vires naturæ exolutas, tonumque vitalem omnino remiſſum conſequuntur, jure inter certiſſima exitii ſigna ab Hippocrate numerantur.

Cum itaque ex dictis pateat periculoſiſſimo huic morbi generi exitium præceps plerumque ſupervenire, aut in iis, quibus felicior res cedit, reſolutionem nervorum immedicabilem, rariſſime enim Attonitos integre convaleſcere compertum eſt, cauſis ejus remotioribus ſumma ope obnitendum eſt, ut

ut malum, cui præſenti mederi raro poſſumus, ne adſuerit certe provideamus. Quocirca, ut id quod volumus conſequamur, imprimis excretiones intermiſſæ revocentur. In fœminis igitur iis quibus conſuetus ſanguinis ab utero fluxus aut caſu aliquo ſuppreſſus fuerit, aut, juſto maturius, deſcendere deſiit, per eoſdem locos denuo derivetur; ſin autem fluxus Hæmorrhoidum ſubſtiterit, is quamprimum provocetur; et ſiquid periculi a ſanguine nimis abundante quaſi præſens inſtare videatur, ei venæ ſectione atque alvum ducentibus occurrendum eſt. Ab omni eo quo ſanguis vel incaleſcere vel rarefieri ſolet, et ab iis quæ ejus motum concitatiorem faciunt æger abſtineto. Cibis igitur aromate conditis, potui moraciori, medicamentis etiam inter fluxum provocandum calidioribus, motibus que corporis vehementioribus omnino intercedendum puto. Diæta autem refrigerante atque aperiente æger utitor.

At

At iis quorum vaſa ſanguine pituitoſo onerantur, et qui deſtillationibus atque anhelatione tentantur, iis medicamentis quibus humores craſſi per os atque nares expurgari poſſe creditur, quæ errhina atque apophlegmatizonta appellant medici, pituita eſt educenda. Et hoc quidem loco notaviſſe haud abſurdum erit, licet quis fortaſſe riſerit, Foreſtum medicum, ſiquis alius, exercitatiſſimum memoriæ prodidiſſe eos ſæpiſſime in ſoporem et Lethargum incidere, qui conſuetum herbæ Nicotianæ uſum ſive in ipſa manducanda, ſive ejuſdem accenſæ fumo hauriendo, intermiſerunt. Sed profecto videtis quantum veteres, in his morbis præcavendis, medicamentis pituitam ducentibus tribuebant. Plus autem his valent, et ulcera locis commodis inuſta quæ Fonticulos vocant medici, et Veſicatoria cuti impoſita. At in Fonticulis inurendis cutis ſatis late exulceretur, ut ſero morbido exhauriendo ſufficiant. Præterea in temperamento

peramento pituitoſo non erit inutile purgantibus, iis quæ Phlegmagoga dicuntur, ſerum id, quod in ſanguine ſuperfluum eſt, educere; diætaque paulo ſicciore atque calidiore uti; quinetiam, ex Riverii præcepto, aquam fontanam in qua lignum Guaiacum, quod etiam ſanctum vocant, in coctum fuerit, potui dare convenit.

Interea, dum hiſce auxiliis ſeri redundantis copiæ diminuendæ, ſanguiniſque inertiæ corrigendæ operam damus, motui languenti, nerviſque laxis eſt proſpiciendum, iis quæ leni ſtimulo tonum vitalem intendunt. Huic propoſito fini conſequendo inſerviunt imprimis, ratione vis ſuæ aromaticæ, herbarum nonnullæ quæ nervinæ a medicis nuncupantur. Et profecto, ſi quis ea recte perpenderit quæ ætate ingraveſcente neſcio cui ſanguinis qualitati lenteſcenti, vaſorumque obſtructioni vulgo tribui ſolent, is eorum aptiores cauſas agnoſcet nervos inſenſiles,

les, vaſa laxa et inertia, motum denique deficientem.

At Apoplexia præſente, ſive ab ægri negligentia, ſive illis, quæ paulo ante præcepta ſunt, nihil proficientibus, contigerit, tum profecto ad auxilia potentiſſima confugiendum eſt. Nec enim morbi periculoſiſſimi natura, nec occaſio maxime præceps patitur ut remediis levibus utamur. Extemplo igitur eſt medico diſpiciendum, et quantum ex ægri conſtitutione, præſenteque vaſorum plenitudine perpenſis conjectando valet, prudenter ſtatuendum an ſanguinis copia ſit minuenda. Nam plurimum in Apoplexia valet ſanguinis detractio, atque adeo, tametſi æger temperamenti quodammodo pituitoſi ſit, ſi tamen pulſus ferat, vena ſtatim eſt ſecanda. Apud Celſum quidem ſcriptum legimus, eos, quibus membra omnia reſoluta ſunt, ſanguinis detractionem vel occidere vel liberare: at ſi vaſa capitis ſanguine ſint diſtenta, ſi facies rubore ſit ſuffuſa, ſi in pulſu

indicia

indicia ſanguinis copioſioris compareant, ſanguis utique confertim detrahatur, ſive id ſecta vena fiat, ſive cutis crebris vulnuſculis ſcalpello incidatur, admotiſque cucurbitulis ſanguis proliciatur, ſive hirudines applicentur, ſive denique arteria diſſecetur. At ſanguinem, vena vel in brachio vel in jugulo ſecta, detrahere eſt pervulgatius. Quod ſi in jugulo incidatur vena, collum filo minime conſtringatur ne a capite impediatur ſanguinis reditus.

Quandoquidem autem ab Arteria ſecta nihil præcipue ſalutare expectamus, eum ſanguinis mittendi modum in hoc morbo venæſectioni vix anteponendum cenſemus, niſi ſi forte, viribus admodum languentibus, a vena inciſa parcior et tardior ſanguis effluat.

Præcipit Morgagnius ut in ſopore, morbiſque conſimilibus, admota prius cucurbitula, Venæ Occipitales in Sinus Laterales ſanguinem convecturæ vulnuſculis

nuſculis profundis incidantur, quo artificio partem ſanguinis averti, reliquum nonnihil diminui, motumque per eoſdem faciliorem fieri putat. Specioſum ſane experimenti genus! quod etiam in hoc morbo curando ſibi proſpere ceſſiſſe teſtatur Præceptorum Medicorum Auctor omni doctrinæ genere et laude medica jure celeberrimus.

Secundum ſanguinis detractionem maximum auxilium eſt ſi alvus medicamento idoneo, Enemate nimirum acri ex inferioribus partibus infuſo, aut Glande ſuppoſito, ducatur. Exinanitis enim hoc modo inteſtinis et, quod conſequitur, compreſſione, illa qua Aorta deſcendens coarctabatur, ſublata, ad corporis inferiora, vertitur pars ſanguinis caput petituri, humorumque moles qua Cerebrum gravatur. Quid? quod etiam, fæcibus putreſcentibus ex alvo excretis, laxatur tonus in partibus inferioribus juſto conſtrictior quo humores in caput acti et quoddammodo

conclusi causam propiorem morbi sæpissime constituunt.

Sin autem Apoplexia a sero sanguinis in Calvariæ cavitatem effuso oriatur, ea quæ alvum valide ducunt maxime juvant, secta tamen prius, si pulsus ferat, vena. Nam cum in Apoplexia serosa nec urinam moventibus, nec Calvariæ Paracentesi locus sit; quandoquidem illis, quorum effectus tardior atque incertior est, præsentius aliquod remedium malum præceps postulet; huic autem intercedendum sit, quia quo Calvariæ loco latex aquosus contineatur nullo certo signo conjectare licet; solis purgantibus aquam educi posse testatur omne aliud hydropis genus. Refert autem quo medicamento quis alvum in Apoplexia duxerit; cum enim et vasorum plenitudo in hoc morbo periculosissima sit, omnisque humorum gravis commotio; iis solis purgantibus est utendum quibus alvus satis solvi possit, nec tamen sanguis

ſanguis admodum aut rareſiat aut incaleſcat.

Alia videtur medendi ratio in eo Apoplexiæ genere quod a motu deficiente, naturaque languente exoriri diximus, in hujuſmodi enim morbi conſtitutione iis quæ acriter ſtimulant, naturamque torpidam excitant eſt inſiſtendum. Licet igitur in iis qui vel a vaſe diſrupto, vel ab aqua effuſa Attoniti corruunt, medicamentum vomitum movens exhibere res ſit aleæ periculoſæ plena; his tamen quibus motus deficere, et natura langueſcere videtur, ſopor quovis modo excutiendus eſt, vel vomitu excitato, vel volatilibus, ut dicunt, acribus naribus admotis, Veſicatoriis præterea capiti, brachiis, cruribus impoſitis; quæ poſtrema, Veſicatoria dico, non ſolum naturam ceſſantem inſtigant, verum etiam in Apoplexia aquoſa maxime proſunt, ſerum inutile educendo.

Si hiſce artificiis bona avi inſtitutis exſuſcitetur æger, omni ope morbo recidivo occurrendum eſt. Quod ſanguinis miſſione atque alvi ductione recte facimus in plenis atque craſſis. Sic enim humor inutilis e corpore expellitur. Conſtitutionis tamen ſive Temperamenti ratio eſt habenda. Siquidem ſanguineis maxime convenit ſanguinis detractio, contra, purgatio pituitoſis.

Quinetiam iiſdem, pituitoſos intelligo, Veſicatoria magna applicentur, et locis commodis cauſtico medicamento cutis inuratur.

Nervorum præterea tono conſulendum eſt iis remediis quæ huic uſui experientia commendata habet : his autem modus adhibendus eſt : in iis præſertim qui ſanguine abundant. Licet enim venæ ſectione et alvi ductione rite præmiſſis, iis aliquando commode adhibeantur quorum vaſa ſunt laxiora, ſanguiſque tardior movetur, calidi tamen

men et pleni, aromata et ſalia, volatilia dicta, quæ ſanguinem multum commovent et calefaciunt, diligentiſſime devitent; in his enim, vaſorum exinanitiones præſcriptæ, diæta tenuis refrigerans, animique motus placidiores Apoplexiæ recidivæ præcavendæ maxime valent. Atque hæc de Apoplexia dicta ſunto.

Apoplexiæ Caros eſt affinis, in quo cum ſopor abſque febre profundus eſt, ab Apoplexia magnitudine ſola eum differre ſcriptores tradunt. In morbo Attonito pereunt plerumque ſenſus atque motus præter pulſum et ſpirationem; at in Caro, admoto ſtimulo acriore, ſentire videtur æger; nimirum ſi vellicetur, aut compungatur. Præterea Apoplexia iis ſolum qui ætatis annum quadrageſimum exceſſerunt eſt familiaris; juniores non niſi maximis de cauſis occupat; quales ſunt caſus ab alto, ictus, vulnus; contra, Caros omnem ætatem aggreditur. Porro, in

Apoplexia, humor aliquis plerumque, ſanguis nimirum vel aqua in Calvariæ cavum effunditur; in Caro autem nullam effuſionem fieri eſt veriſimile. Unde fit, ut Caron ſolutum valetudo ſecunda ſæpiſſime conſequatur; morbum autem Attonitum plerumque nervorum reſolutio. Differt etiam Caros a Lethargo, quia hunc febris nunquam non comitatur; Caro autem detenti non febricitant, niſi ſiquis eo forte in febris acceſſione corripiatur. Porro, in Lethargo facilius æger excitari poteſt; concuſſus enim, vel vocatus palpebras attollit, licet brevi iterum in ſomnum delapſus omnium rerum obliviſcatur. A Catalepſi dignoſcitur Caros, quod in illa, corporis ſchemam eandem æger retinet quam correptus habuit, ſive ſederit, ſive ſteterit; in Caro, contra, ſopore profundo oppreſſus jacet.

Caron autem inducunt, ut ejuſdem cauſas exponam, imprimis violenta

Cerebri

Cerebri compreſſio. Compreſſionis autem illius cauſa frequentiſſima eſt vaſorum Cerebri plenitudo. Unde fit ut in febrium intermittentium acceſſionibus gravi ſopore homo ſæpe occupetur: conſtrictis enim partibus corporis externis, quod in principio acceſſionum cuivis ſpectanti patet, ſanguis ad interiores corporis ſedes, nec ſemper æquali compreſſione compellitur; Caros autem continuo accedit cum humorum pars juſto major in Cerebri vaſa vehmentius adigitur.

Eadem eſt ratio eorum quos in febrium intermittentium principio oculis captos fuiſſe legimus; quibus tamen in acceſſionis fine, laxato inæquali vaſorum tono, viſus redit. Accidit tamen aliquando ut hacce inæquali ſanguinis diſtributione vaſa diſrumpantur, et Caro revera in Apoplexiam mutato homo moriatur.

Quid autem Cerebri compreſſio valida in ſopore arceſſendo valeat, nulla

re melius commonſtratur quam exemplo cujuſdam pauperculi Pariſienſis, cui, cum maxima pars Calvariæ caſu quodam ablata eſſet, a leviore Cerebri compreſſione viſus obtuſior factus eſt; a validiore autem aurium tinnitus accedebat; et porro a validiore ſopor profundus oboriebatur.

Poſt deceſſum acceſſionis Epilepticæ fit fere ut æger in Cari cujuſdam levioris ſpeciem quandam dilabatur. Cujus rei cauſa non alia ſæpe adeſſe videtur, quam quod natura, gravi labore exantlato, delaſſata requieſcat; atque adeo eadem eſt fere hujuſce ſoporis quæ ſomni naturalis ratio. Subeſt tamen aliquando cauſa magis ſontica; nam a vi Cerebro illata morbus ſæpiſſime exoritur, ſanguine a nixu Epileptico in caput vehementius adacto: quin et a ſanguine e vaſis ſuis ab eadem cauſa effuſo exoriri poſſe videtur: licet rebus ita conſtitutis rectius Apoplexiæ nomen ferat. Materiam porro

porro morbidam motu naturæ inepto in Cerebrum depoſitam ſæpiſſime Caron conſequi ſatis notum eſt; ut in Podagra, aut Eryſipelate retropulſis, aut ulceribus arte nimis officioſa ſiccatis. Omitto venenorum vim narcoticam, fumum carbonis accenſi, vaporem muſti fermenteſcentis, et ad medendi rationem exponendam propero.

Primum igitur, ſi intermittentis febris acceſſioni conjungatur Caros, ab omni magno remedio in præſenti abſtinendum eſt; at, decedente acceſſione, ne denuo redeat febris eſt providendum. Attamen, ſopore profundiore urgente, ſi facies multo rubore ſuffuſa ſit, atque in temporibus vaſa multo ſanguine diſtendi videantur, ne, diſruptis vaſis, vera Apoplexia superveniat, quod non ſemel accidiſſe compertum eſt, Enemate immiſſo venter ſolvatur; ut putreſcentium fæcum mole ſublata, vaſa inferiora et laxentur, et minus

minus comprimantur, atque per has vias, patentiores jam factas, pars sanguinis a capite ad partes oppositas derivetur, partesque superiores leventur. In hoc enim cardo curationis vertitur; quandoquidem morbus omnino in sanguinis distributione inæquali consistit. Sin autem alvo jam laxata nihil profecisse videamur, at contra, et spiratione inæquali, et stertore magno, et pulsu in horas aucto, instantis Apoplexiæ metus sit; tum profecto ad sanguinis missionem confugiendum est. De hoc autem remedii genere, reputet secum medicus sanguinis missionem in febribus intermittentibus plerumque alienam esse; siquidem detracto sanguine accessiones febris futuræ minus facile præcaveri possint; accedit etiam, cum sopor præsens non tam a sanguine nimis abundante quam ab ejusdem distributione inæquali pendeat, venæ sectione non certe eum posse levari, venarum enim

exinanitio

exinanitio in tono vaſorum exæquando non multum facere videtur. Levi itaque de cauſa ſanguis ne detrahatur, ſed poſtulante, imo flagitante morbo.

Si Caros violentiæ cuidam externæ ortum debeat, ideo quia Calvaria fracta depreſſa ſit, aut Cerebrum valide concuſſum, aut vas fortaſſe diſruptum; tum multum ſanguinis venæ ſectione eſt detrahendum, atque Enemate acri immiſſo alvus ducenda: Calvariæ autem depreſſæ Chirurgi manu eſt medendum.

Si a veneno hauſto ſoporem homo patiatur, ipſum venenum, ſi modo fieri poſſit, vomitu et alvi fluxu expellatur; atque æger omni ſtimulo inſtigetur; ſiquidem omni ratione connitendum eſt, ut vita protrahatur, dum vis toxici vel diſſipari vel vinci poſſit.

Poſtremo, ſi a podagra vel impetigine aut retro pulſa, aut mala tranſlatione in Cerebrum delatu Caros

ros oriatur, vix aliud eſt quod agat medicus, niſi ut vaſorum in capite ruptionem præcaveat, et morbum a capite ad ſedem antiquam revellat. Primum vaſorum exinanitiones prudenter inſtitutæ faciunt: in altero conſequendo Veſicatoriorum maxima vis eſt et auxilium.

PRÆ-

PRÆLECTIO VI.

AD Lethargum venio, in cujus hiſtoria tradenda maxime medicos diſſentientes video. Primum enim, in morbo definiendo adeo non convenit, ut eundum cum Caro confundere nonnulli videantur. Deinde, in natura ejus exponenda, parum inter medicos conſtat, an morbus ſit primarius, an inter Febris cujuſdam ſymptomata rectius numeretur. Sed in his expediendis otium conterere non eſt animus. Satius eſt morbi imaginem oculis veſtris conſpiciendam ſubjicere; deinde ea, quæ in eorum cadaveribus qui Lethargo periere ſunt obſervata, tradere; ut his ſimul compoſitis, et morbi natura et medendi ratio pateſcat.

Hiſce

Hiſce igitur ſignis Lethargus cognoſcitur. Incipit morbus cum capitis quadam gravitate, obſcuroque dolore, quibus brevi ſupervenit oblivio perpetua atque inexpugnabilis pene dormiendi neceſſitas. Æger autem, ſi forte experrectus ſit, in ſomnum ſtatim delabitur. Siquid petenti ægro oblatum ſit, petiiſſe ſe omnino obliviſcitur, ut poculum in manus datum haurire, et cibum oblatum devorare prætermittat. Adeſt præterea febris lenta, atque mentis alienatio: Pulſus eſt plerumque mollis et undoſus inſenſilitatis et remiſſæ tenſionis comes: Spiratio autem rara atque debilis eſt; marcore enim et ſtupore ſepultus æger etiam ſpirandi vices oblivione negligit, donec, ob ſpiritum diutius intermiſſum, majore moleſtia tandem excitatus, aerem haurire denuo cogatur; quod tamen imbecilliter atque oſcitanter facit. Porro lethargicis nunc alvi fluxus adeſt, nunc alvus comprimitur; utrumque, ut

videatur,

videatur, a marcore et debilitate; cum inteſtinorum fila muſculoſa laxa et inertia nec fæces, ſi duriores fuerint, propellere, nec liquidiores cohibere poſſint. Urina nonnunquam ſenſim atque, ægro invito redditur; laxato nimirum atque reſoluto muſculo Veſicæ eo quem Sphincterem appellant: contra, nonnunquam retinetur lotium; vel quia ſtupore ſepultus æger ſtimulum in veſica parum ſentiat; vel quia, licet ſentiat, laborem expellendi refugiat. Urina qualis jumentorum redditur. His accedit tuſſis debilis, qua pituita pauca ægre extunditur. Corpus multo ſudore perfunditur; facies pallescit atque intumeſcit; manus contremiſcunt; ad imum lecti devolvitur æger.

Intereſt inter Apoplexiam et Lethargum, quod in illa ſenſus omnis aboletur; in hoc autem homo et pulſus ſentit, et vocatus audit, et interrogatus reſpondet.

A Caro facile Lethargus dignoſcitur; ille enim levioris Apoplexiæ eſt ſpecies. Præterea Lethargus lentam quandam febrem ſibi adjunctam ſemper habet; quod contra fit in Caro.

Dignoſcitur etiam Lethargus a ſopore illo, qui aliis febribus nonnunquam ſupervenire ſolet; et ſignis illarum febrium propriis, quæ hoc loco recenſere ab inſtituto noſtro eſſet alienum, et quia in Lethargo febris eſt levis et obſcura.

Inter Lethargum et Phrenitidem multum intereſt; cum in hac vigiliæ aſſiduæ mentiſque alienatio cum furore et audacia, nonnunquam autem cum riſu et cantu adſint; contra, in illo, ſopor perpetuus urgeat. Præterea in Phrenitide febris ſatis acuta inſtat, quæ in Lethargo lenta et obſcura raro exardeſcit. Nec eædem partes corporis in utroque morbo laborare videntur; cum in Lethargo Cerebri interiora potiſſimum tentari veriſimile ſit, in Phrenitide vero membranæ et exteriora.

teriora. Quæ tota ratio eo, quod ab Hippocrate notatum video, confirmatur. Nempe Phrenitidem in Lethargum ſæpe immutari, atque ideo lethalem evadere; quia nimirum, ingraveſcente morbo, inflammatio a membranis et exteriore Cerebri facie in ejuſdem Medullam intimam propagatur.

Lethargo demortuorum capita ſectione aperta Meningis Tenuis vaſa cruore diſtenta, Cerebrum ipſum inflammatum et ſuppuratum, ejuſdem Ventriculos pure impletos, eorumque parietes exulceratos in conſpectum protulere: adeo ut de hujuſce morbi cauſa proxima, re in ſcholis medicis maxime controverſa, non amplius dubitare poſſimus, quin ea in Cerebri profunda inflammatione conſiſtat.

Ex propoſita Lethargi deſcriptione et cauſa, haud quiſquam a vero aberraverit, qui eum morbum difficilem et periculoſum eſſe judicaverit. Pars enim corporis primaria profunda in-

flammatione tentatur, nec tamen plerumque quid magnum natura audet (quod ex omnium motuum languore satis patet) quo hominem in salutem posse vindicari versimile videtur. Accidit tamen interdum ut natura fortior contra hostem insurgat, Lethargoque in Phrenitidis speciem quandam immutato, febris vehementior exardescat, cum dolore capitis acuto, vel certe insigni aliqua molestia, quam quidem subesse, admota manu parti affectæ, non verbis disertis, licet secum multa mussitet, æger satis indicat. Et quidem, rebus ita constitutis, secunda valetudo redire potest; vel inflammatione resoluta, vel pure excreto per meatum auris externum, aut in os atque nares effuso, per tubam Eustachianam. Sæpius tamen, Cerebri Medulla vel in pus conversa, vel sphacelo corrupta, Hemiplegia correptus homo brevi moritur. Qui autem inflammatione feliciter resoluta effugiunt, de dolore caput et colli

colli. Vertebras gravante conqueruntur.

At Lethargum pectoris ſuppuratione aliquando ſolvi multi ſcripſere, loco illo in Coacis Prænotionibus freti; ὅκοσοι σώζονται τῶν ληθαργικῶν ἔμπυοι γίνονται. Quod tamen alii de pure ab auribus excreto, aut certe de abſceſſu iſto, quem Parotidem medici appellant dictum volunt; cum vox ἐμπύικοι omnibus ſuppuratis ex æquo conveniat: pulmonem autem nimis a Cerebro diſtare arbitrantur, quam ut morbus qui Cerebro inſederit in eum deponatur. Verum enim vero, ſatis frequens Cerebro cum Pectore morborum eſſe commercium multis locis teſtatur Hippocrates: quinimo quod ipſe Lethargus cum quadam Peripneumoniæ ſpecie ſemper conjungatur ex tuſſe pituitoſa comitante patet. Nihil igitur obſtat, quin Lethargus oborta pulmonis vomica feliciter judicetur; maxime ſi Epidemica morbi conſtitutio hujuſmodi judicationi faveat:

veat: ſavere autem poſſe confirmant Williſii noſtri obſervationes de febre quadam ſomniculoſa, quam Peripneumonia cum ſputo purulento excepit eo tempore quo (ut Williſius more ſuo metaphorico loquitur,) Cerebri confinia ſerenum obtinerent, nubibus illinc in Thoracem demiſſis.

Atque hæc de Lethargi ſignis, cauſis, et eventu: ſupereſt ut quemadmodum ei mederi oporteat dicam. Primum igitur, quoniam in omni fere Cerebri morbo ſanguis in caput copia juſto majore impellatur; idque ſatis in diſſectis Lethargicorum capitibus adpareat, omni ope connitendum eſt, ut ſanguis juſto abundantior a capite revellatur, atque ut ex æquo per omnia corporis vaſa deducatur. Quod ut conſequemur, alvus extemplo immiſſo enemate ſatis acri ſolvatur, ut fæcum craſſarum atque irritantium moles educatur: hac enim ratione compreſſio illa, qua arteriæ per abdomen deſcendentes coarctantur, tollitur;

litur; earundemque arteriarum tonus conſtrictior, amoto putreſcente ſtimulo, laxatur. At ſi non ſolum capitis vaſa plus juſto diſtendantur, verum etiam ſanguis in omnibus vaſis copioſior ſit, tum profecto, id quod nimium eſt ſecta vena eſt detrahendum; maximum enim in omni inflammatione reſolvenda venæ ſectionis eſt auxilium; ſi modo in morbo nihil adſit præterea quo minus tuto vena ſecari poſſit. At, nequid diſſimulem, raro admodum in Lethargo eſt venæſectioni locus; quippe cum res ſuas in hoc morbo timide gelideque natura miniſtret, excitanda atque extimulanda videtur potius quam reprimenda: ſatius eſt enim Phrenitidem huic morbo ſupervenire, qua cauſa ejuſdem vel diſſipari, vel concoqui, atque abſceſſu facto excerni poſſit, quam, langueſcente motu ſalutari, hominem deficere.

Alvo ſoluta, atque etiam ſanguine emiſſo (ſi modo vaſorum plenitudo

 poſtulet.)

poſtulet.) Veſicatoria Cervicibus, Brachiis, Cruribus, ordine ſunt admovenda; ut hiſce ſtimulis natura ſolicitata ad cutem morbi vim vertere, atque cum ſero exſtillante cauſam acrem, ſi qua ſubſit, expellere prorítetur. Quid quod etiam doloris atque irritamenti ratione, quorum vires longe lateque per totum animal exporriguntur, naturæ, in hoc morbo plerumque langueſcentis, motus, Criſi ſalutari neceſſario prætexendi, apte intendantur? At cavendum eſt ne violentius juſto extimuletur æger: quandoquidem Lethargicos omni modo excitandos nonnulli præcipiunt, admotis iis quibus ſenſus maxime commoventur, clamore, corporis concuſſu, quinimo vellicatione atque punctura: cum autem hæc in morbi cauſa diſcutienda nihil valeant, ne quidem, ſi ſecundum veteres, a pituita Cerebrum opprimente morbum exoriri concedamus; quid ab his adhibitis conſecuturum eſſe veriſimile putemus? cum

cum morbus omnino Cerebri inflammationi nitatur, nisi, ut ægro frustra discruciato, strictura, ut cum Cælio Aureliano loquar, non relaxetur, sed intendatur. Certe Lethargicis iis quibus maxime pituita abundat, maxime conveniunt non illa quidem vehementiora irritamenta, at, contra, ea quæ sanguinis distributionem æquant, quæ humores crassos atque lentos fundunt, postremo, quæ sanguini segnescenti motum modice concitatum conciliant. Atque hæc de Lethargo dicta sufficiant.

Sequitur ut de Nervorum Resolutione quam Græci Παράλυσιν appellant dicam: in qua motus atque sensus, vel horum alteruter, aut perit aut diminuitur. Si omnia membra capiti subjecta resolvantur Παραπληγίαν vocant medici; quam licet nulli unquam, nisi forte in ipsa Apoplexia, accidisse credat Hoffmannus, casum tamen hujusmodi Harrisius noster in libro observationum se vidisse et cu-

raſſe memorat. Si latus corporis alterutrum reſolvatur ἡμιπληγία dicitur. Fit etiam aliquando ut partes corporis ſepto tranſverſo ſubjectæ Paralyſi occupentur, ſalvis ſuperioribus. Alia eſt etiam Paralyſis diviſio, quæ ſedem morbi reſpicit, nervum nimirum reſolutum: non quidem quatenus huic vel illi parti nervus ſubſerviat, ſed quatenus ſenſui vel motui præficitur. In aliis enim, quod ante dixi, perit motus tantum, in aliis ſenſus. Hanc ἀναισθησίαν ſive ſtuporem vocant, illam ἀκινησίαν. His addatur Paralyſis ſpecies quædam imperfecta, quæ tremore atque imbecillitate ſeſe prodit, non ſenſu atque motu omnino abolitis, iis quidem maxime familiaris, qui vino et veneri a prima adoleſcentia plus æquo dediti effætum corpus tradidere ſenectuti. Aliud eſt porro imperfectæ reſolutionis genus in India Orientali frequens, a Jacobo Bontio deſcriptum, Beriberi ab incolis illius regionis nominatum. A frigore aeris nocturni

æſtuanti

æſtuanti corpori temere admiſſo exoriri dicitur. In hoc malo magna corporis laſſitudo adeſt, et ſumma membrorum imbecillitas, manet tamen aliqua movendi poteſtas cum puncturæ atque titillationis quodam ſenſu. Imperfectæ Paralyſis exemplum ſatis rarum apud Wepferum habemus. Mulierem enim memorat, quæ poſt Apoplexiam prægreſſam dextro latere quodammodo reſoluta, corpora craſſa et gravia facile atque firmiter comprehendebat, gracilia autem et levia inſciæ ſtatim de manu delababantur.

Paralyſin multa ſæpe præcedunt quibus quis nervorum gravem morbum brevi affuturum jure extimeſcat, huic tamen, et Apoplexiæ, et Caro plerumque communia; cujuſmodi ſunt vertigo, et gravitatis ſenſus in capite, ſpaſmi et palpitationes in muſculis cum debilitate et torpore.

At Paralyſi præſente morbus per ſe ſatis patet; deleto nimirum vel diminuto

nuto ſenſu et motu vel eorum alterutro. In latere reſoluto Pulſus eſt debilis, et, magnitudinis ratione, inæqualis, nonnunquam etiam intermittens; cujuſmodi in Pulſu inconſtantiæ atque inæqualitatis ratio iis ſatis patet, qui quid in arteriarum finibus conſtringendis, dum ſanguis e Corde propellitur, faciant nervi, varioſque modos diſtentionis arteriarum a nervis modo et ratione varia contentis aut laxatis animo contemplati ſunt. Nec alia, ſubeſt cauſa quod in febribus malignis in eo membro, quod mox ſphacelus eſt occupaturus, Pulſus debilior fiat, vel etiam ceſſet; ſphacelo autem devicto, denuo reſurgat; quam quod vel elangueſcat, vel omnino pereat vis nervorum in ultimis arteriarum finibus conſtringendis, invaleſcente ſphacelo; eodem autem devicto, eadem vis denuo reſtituatur.

Sed ad ſymptomata præſentis Paralyſis, unde oratio noſtra digreſſa eſt, revertamur. Quandoquidem partes

reſolutæ

reſolutæ, remiſſo jam tono vitali, ſolitò flaccidiores fiant, et, quod conſequitur, ratione remiſſionis, impetui ſanguinis irruentis cæteris minus obſiſtant; intumeſcunt vaſa humorum vi diſtenta; atque mox, in iiſdem prægravatis langueſcente motu vitali, humores non raro computreſcunt, et membrum, ſphacelo corruptum, emoritur. Aliter tamen res ſæpius ſeſe habet; cum enim propter motum debiliorem, indies humores minus in vaſa exiliora impellantur, ipſa vaſa, deficiente copia liquoris ejus, cujus rivo jugi diſtendi ſolebant, ſenſim collabeſcunt, atque Atrophia membrum emarceſcit. Macie autem in membro reſoluto oborta, tum profecto nulla ſpes eſt ægro ſecundæ valetudinis impoſterum rediturae. Si facies altero latere reſoluta ſit, alterius lateris muſculi contrahuntur. Cujus rei cauſam non uno modo medici explicare conati ſunt. Alii enim vera convulſione ſive ſpaſmo muſculos non reſolutos contrahi volunt,

lunt, alii, contra, nihil novi hiſce muſculis accidere dicunt: at cum in omni muſculo vim quandam a natura inſitam eſſe arbitrantur, qua extrema ſua ad ſe invicem adducere muſculus perpetim conatur, atque in hac vi omnem ejuſdem actionem poſitam eſſe aſſerunt; partes faciei muſculorum motibus ſubjectas quaſi lances duas ponderibus æquilibratas in ſanis eſſe dicunt; nec ad dextram nec ad ſiniſtram eſſe deductas, ideo, quia muſculi utriuſque lateris ex æquo hinc atque hinc eaſdem ad partes ſuas trahere connituntur: quæ omnia contra fieri neceſſe eſt, ſi muſculi alterutrius lateris reſoluti ſint. At hi quidem non ſatis animadvertiſſe videntur, ea de cauſa muſculum a natura fabricatum eſſe, ut eſſet inſtrumentum quod partem annexam ſibi, data occaſione duntaxat, non autem ſemper, traheret; et præterea vim muſculorum vel voluntatis imperio, vel cauſis conſimilibus intendi et remitti poſſe; quod contra

contra tamen fieret ſi omnis eorum actio a vi quadam inſita perpetim et ex æquo agente penderet. Sed pluribus opus non eſt, cum cuique rem ſatis diligenter reputanti pateat, totam ejus rationem omnino ex tono vitali eſſe petendam, qui in parte reſoluta plane perit, in ſana, contra, viget.

In eo autem Reſolutionis genere quod partes ſepto tranſverſo ſubjectas occupat, præter motum et ſenſum in artubus inferioribus deperditum, peculiaria quædam adſunt ſymptomata, quæ vim inteſtinorum in alimentis concoquendis labefactatam, alimentorum corruptionem ſpontaneam, poſtremo fæces atque lotium expellendi impotentiam plane conſequuntur. Hujuſmodi ſunt alvus adſtricta, inteſtina fæcibus coacervatis atque flatibus mirum in modum diſtenta, ſumma in præcordiis anxietas, cum multis aliis, quæ facile ex officio atque ſitu viſcerum reſolutorum perſpectis, quiſquis hujuſmodi

hujuſmodi morbo correptis adſutura prædixerit.

Poſtremo, nervorum Reſolutionem paſſis, memoria plerumque non ſolum minuitur, verum etiam, nunc ſenſim, nunc derepente, quodammodo evaneſcit: adeo ut hoc morbo correptos doctiſſimos nec elementa literarum prima, nec propria nomina tenuiſſe ſæpe compertum ſit. Miſerrimum, ſane ſymptomatis genus; Paralyſin autem eam, quæ Apoplexiam ſolutam conſecuta eſt, maxime comitatur, et eos præcipue, quibus lingua eſt reſoluta.

Ad cauſas Paralyſis exponendas venio, quæ in propiores et remotiores commodiſſime dividantur. Inter cauſas remotiores primum locum obtinet ſanguis in vaſis juſto abundantior; præſertim ſi a cauſa aliqua vehementius commoveatur. Sanguinem autem multum commovent motus corporis præter ſolitum violentior et diuturnior, vinolentia et ebrietas, venus profuſior, aeris calor immodicus vel etiam tem-

peſtas

peſtas cœli frigidiſſima. Hiſce cauſis ſanguinem abundantem vel rariorem factum, vel motu concitatiore impulſum, principia nervorum teneriora ſive in ipſo Cerebro ſive in ejuſdem Medulla Oblongata et Spinali vel comprimere vel etiam ſolvere poſſe ſatis patet. Maximam autem vim in Tono Vitali et intendendo et remittendo, et, quod conſequitur, in ſanguine impellendo, nerviſque multis modis lædendis, animi perturbationes ſubitaneæ atque vehementes habent: unde homines plenos, a ſanguine animi affectibus vehementius commoto, in Apoplexiam aut Paralyſin incidiſſe hiſtoria medica paſſim teſtatur.

Præterea, inter Paralyſis cauſas remotiores recenſeri debent omnia ea quæ ſecretiones illas humorum ſalutares, quibus ſanguinis vaſa prægravantis copiam diminuere, vel materiam quamcunque nervis inimicam expellere, natura conſuevit, prorſus cohibere, aut impedire poſſint: Unde fit ut fluxum

fluxum ab utero menſtruum, vel etiam a venis Hæmorrhoidibus, diminutum aut ſuppreſſum nonnunquam nervorum Reſolutio conſecuta ſit. His adde ſudorem derepente cohibitum, puſtulas efflореſcentes repulſas, motus Criticos ſalutares in febribus vaſorum exinanitione improvida, ſive id venæ ſectione, ſive alvi ductione fiat, intempeſtive fractos et debilitatos, aut medicamentis ſedantibus conſopitos.

Tertia claſſis cauſarum remotiorum hujus morbi comprehendit ea quæ nervorum vires exhauriunt atque frangunt. Inter quæ ſenectuti locus primus eſto, in qua omnes animantis functiones hac maxime ratione lædi videntur, quia nervorum vis in negotio vitali adminiſtrando ſenſim deficit. Quam quidem rem id ſatis confirmare videtur, ut alia omittam, quod in ſenectute, non dico extrema, verum etiam adhuc vireſcente, morbi acuti ſint plane infrequentes. Langueſcit nimirum ſenſim in nervis vitæ vis vivida,

unde

unde natura Criſi abſolvendæ impar longorum morborum tædio ſæpe conficitur. Sunt autem alia multa præter ſenectutem nervorum viribus inimica, qualia ſunt ebrioſitas, veneris inſatiata voluptas, quæ ſtuporem atque tremorem, etiam in juventute, arceſſunt.

Numeratur adhuc inter Paralyſis cauſas remotiores mala victus ratio, ex cibis craſſis viſcoſis atque frigidis; quinetiam cœli intemperies frigida et humida. A priori enim ſanguis tenax et pituitoſus progigni creditur; a poſteriore laxantur Nervorum fila, lenteſcitque ſanguis effœtus, motu magis magiſque langueſcente. Certe non minus in Paralyſi quam in Apoplexia inferenda valere pituitam quaſi communi conſenſu tradidit antiquitas: et in hiſtoriis a Foreſto conſcriptis hoc notatu dignum, ſi quid aliud, occurrit; magnam ſcilicet ægrorum partem ſive Apoplexia ſive Paralyſi correptorum iſtiuſmodi corporis temperamento fuiſſe,

atque ea victus ratione usos, ut quivis jure suspicetur diætam in hisce morbis inferendis multum fecisse.

Causam autem Paralysis proximam constituit quicquid commercium illud quod, nervorum ministerio, inter Cerebrum et partem resolutam intercedere debet, quocunque modo abrumpit. Abrumpunt autem imprimis vulnera, inflammationes, et suppurationes, sive Cerebri regionem eam unde nervi in partes mobiles et sentientes protenduntur, sive nervos ipsos, quocunque demum loco, occupaverint.

De causa Paralysis ea quæ Cerebrum ipsum primario afficit, hoc a scriptoribus, quorum in medicina summa fides atque auctoritas est, prolatum video, eam scilicet in parte Cerebri lateri corporis resoluto opposita quæri oportere; quandoquidem ab abscessu vel vulnere in dextro Cerebri Hemisphærio sinistrum corporis latus resolvatur, ab eo, contra, quod sinistrum occupat, dextrum. Quod observationibus

nibus et experimentis multi confirmare, confirmare autem! immo ex fabrica Cerebri rationem reddere conantur. Fila enim Cerebri Medullosa in partes contrarias ferri sese mutuo decussantes dicunt. Sed, ut de observationibus primum dicam, non quidem est perpetuum, ut vulnus vel suppurationem in altera Cerebri parte resolutio lateris oppositi consequatur; quod (ut alia omittam) historia cujusdam lethargici, cui latus dextrum resolutum fuit, quam apud Forestum legimus, confirmatur. Cum enim illi mortuo Cerebrum cultro retegeretur, dextram quidem partem suppuratione magna corruptam vidit Forestus, partem autem sinistram albam, incorruptam.

Quod autem de filis Cerebri in contrarias partes productis dicunt, id quidem, in paucis tantum filis, solus fortasse Santorinus, nec ipse sæpe vidit. Cum itaque in hac re contraria rationum, imo experimentorum, mo-

 menta

menta adduci poſſint, adſenſionem noſtram omnino cohibendam cenſeo, donec futuris experimentis omni obſcuritate ſublata, pateſcat quid cuique parti ſit concedendum.

At commercium illud quod ante dixi, non ſolum inflammationes ſuppurationes et vulnera, verum etiam compreſſio aut diſtractio nervorum abrumpere poſſunt. Unde, propter nervos vel ſumma diſtentione ruptos, vel humoribus effuſis compreſſos, acceſſum Epilepticum vehementiorem non raro nervorum Reſolutio eſt conſecuta. Eadem eſt ratio Paralyſis a ſanguine nimis abundante, propter tonum vaſorum inæqualem, in vaſis juxta nervos repentibus congeſto, præſertim ſi id ad Cerebri baſin contigerit. Quod etiam magis confirmatur; quandoquidem Paralyſis genus quoddam agnoſcant practici quod venæ ſectione feliciſſime curatur.

At hujuſce morbi nulla cauſa frequentior, nulla capitalior eſt quam naturæ motus quidam ineptus quo morbi

morbi cujuſdam materia ad nervos transfertur. Quod non ſolum Paralyſi poſt Apoplexiam prægreſſam exorta confirmatum videmus, verum etiam, poſt Colicam diuturniorem, Lepram, Arthritidem, quinetiam febrem improvide ſuppreſſam id ſæpe eveniſſe compertum eſt.

Obſcurior eſt Venenorum quorundam ratio, Mercurii nimirum, Saturni, et Vini ferventis halitus. At cauſa Reſolutionis illius quæ ſubitaneam animi perturbationem, præſertim terrorem, aliquando excipit, a filis vaſorum violenter contentis petenda videtur: in illis enim, qui a cauſa hujuſmodi reſolvuntur, nervi ſenſim emarceſcunt, ab impulſu humorum violentiore vitiata aliquo modo nervorum fabrica.

Sæpe tamen fit, ut in Paralyſi, nullum nervi ipſius vitium ſubſit, ſed malum omne a vi Principii Vitalis (qualecunque id tandem ſit) deficiente omnino exoriri videtur. Quod ut

credam non ſolum exemplis eorum adducor quibus in primo impetu febrium peſtilentium omnis vis muſculoſa ſubito concidit; verum etiam iis paralyticis quos, vel incendio derepente exardeſcente, vel gravi aliquo conſimili periculo, excitatos, in pedes ſeſe conjeciſſe, atque effugiſſe teſtantur hiſtoriæ medicæ. Cum enim hæc contemplor, pigritiam et torporem quendam ipſius principii moventis potius quam impotentiam quamcunque mechanicam, in his, motus amiſſi cauſam ſubeſſe ſuſpicor. Quam quidem ſententiam meam in medendi methodo tradenda veteres confirmare videntur: Puncturis enim, Vellicatione, Urticarum morſu, omni denique ſtimulo ſenſum atque motum in parte reſoluta excitandum præcipiunt.

Cauſis hujuſce morbi propoſitis, ſequitur ut de ejuſdem eventu quid ſit præſagiendum dicamus. Nervorum Reſolutionem morbum quidem difficilem eſſe apud omnes in confeſſo eſt, quem

quem ſphacelus partis reſolutæ aliquando cito pede inſequitur, maxime ſi tumor protinus membrum occupaverit. Irruentibus enim copioſius humoribus in vaſa morbo laxata, conſiſtit ſæpe ſanguis et computreſcit. At ſi morbus diutius inſederit macies et Atrophia plerumque ſuperveniunt. Porro nervorum reſolutio ſæpe in Apoplexiam vertitur, maxime ſi ipſam Apoplexia præceſſerit.

Fit tamen aliquando ut præter omnem opinionem natura contra hoſtem inſurgat, atque eum vel e finibus ſuis prorſus expellat, vel a nervis ad alias corporis partes dimoveat. Convulſione enim oborta ſenſum atque motum reſolutis rediiſſe compertum eſt, morbi cauſa motu illo vehementiore dicuſſa. Solvi etiam Paralyſin febre magna ſuperveniente ſcribit Hippocrates. Quod licet non ſolum de febre arte facta vere dicitur (ut ab Hoffmanno mihi liceat diſſentire) in eos maxime convenire videtur quibus

ante malis artibus febris ſuppreſſa morbum induxerat, nunc autem, vel ſponte naturæ, vel ope medica, Criſi ſalutari morbi cauſam expulſerit. Similis eſt ratio eorum quibus in hoc morbo alvi fluxus ſenſum atque motum revocavit.

Tremorem quidem in nervorum Reſolutione ſalutem præſagire antiqui tradidere, quam tamen ex parte jam rediiſſe potius ex hoc ſigno crediderim. Cum enim tremor non niſi motus muſculoſus debilior ſit, morbi cauſam quodammodo jam devictam præſens docet.

Vis autem naturæ in hoc morbo debellando maxime conſpicitur, cum iis reſolutis, quibus vel Podagra vel Scabies repulſa fuerit, revertente dolore podagrico, vel puſtulis iterum deturpata cute, redit ſimul membris reſolutis priſtinus ſentiendi atque movendi vigor.

At Paralyſis quæ nervum ruptum, aut diſciſſum, aut ſuppuratum, aut quacunque

quacunque causa penitus corruptum consequitur, nullo vel naturæ conamine, vel medicamento devincitur.

Ut Paralysis curatio recte instituatur ad causas ejusdem multiplices diligenter medico est respiciendum. Si itaque a sanguine nimis abundante morbus vel exoriri vel foveri videatur, quod ex decumbentis temperamento, ex vitæ prægressæ ratione, ex signis morbum proxime præcedentibus, postremo ex Symptomatis præsentibus haud fallaci conjectura colligere possumus; tum profecto a venæ sectione curationis capiendum est exordium. Suadent tamen nonnulli in arte medica viri gravissimi ut a vena secanda in hoc morbo omnino abstineamus, etiam in eo resolutionis genere quod Apoplexia præcessit. Quorum me sane multum movebat auctoritas, nisi Aurelianus, Aretæus, Forestus, Hoffmannus non minorem opposuissent suam. Certe enim vel in hoc Paralysis genere si soporis vestigia adhuc maneant

maneant, si facies rubore suffundatur, si in Temporibus Arteriæ vehementer moveantur, si pulsus vehemens et magnus adsit, si ab Hæmorrhagiis consuetis suppressis vel omissis ortum morbus duxerit, ita ut vasorum insignis plenitudo adsit, sanguinis detractionem haud multo minus quam si ipsa Apoplexia adesset res postulare videtur.

At, Paralysi jam confirmata, si vasa sanguine pituitoso inferciantur, corporisque compages laxior et debilior fuerit, venæ sectioni certe est intercedendum; et purgantibus, iis quæ vi quadam aromatica pollent, Vesicatoriis, atque Fonticulis lenti humores sunt educendi; et simul corpori laxo sensuique nervorum torpenti roborantibus atque stimulantibus occurrendum. Quinetiam pituitosis atque iis quibus serum nimis abundare creditur maxime convenit id curationis genus quo, lignorum, atque radicum, quibus humores spissi attenuari, sudorque

dorque moveri ſolet, ope, humores inutiles ſive fundere et liquare, ſive diſſipare medici conantur. Eadem curandi methodus eſt adhibenda iis, quibus a frigore aeris humidi membra ſunt reſoluta; neque his alienum eſt dorſi Vertebras atque membra torpentia aut oleo veteri calido, aut adipe tenuiore quodam ex animale expreſſo fovere; quin et his, quo magis ſenſum exſtimulent, oleum quoddam reſinoſum atque aromaticum quod Eſſentiale vocant Chymici admiſcere utile eſt.

Diſpar eſt ratio medendi iis qui in extrema ſenectute conſtituti nervorum reſolutionem patiuntur. Cum enim his Vis Vitalis deficere potius quam prægravari videtur, nullum exinanitionis genus eſt tentandum, at tota res Cardiacis atque ſtimulantibus eſt committenda.

Poſtremo, ſi Paralyſis a mala tranſlatione cujuſdam materiæ morbidæ exoriatur, ſive a febre intempeſtive ſuppreſſa,

ſuppreſſa, ſive ab impetigine aut ſcabie repulſa, ſive ab ulcere improvide ſanato, ſive a quacunque demum alia excretione cohibita id acciderit, omni ope connitendum eſt, ut morbi vis a nervis avocetur, vel febre denuo exſuſcitata, vel excretione conſueta reſtituta.

Quemadmodum autem hæc fieri debeant, particulatim exponere argumenti ordo fortaſſe poſtulare videatur; verum cum locus ipſe jam ſatis ſit patefactus, Prælectionumque modus præſtitutus tempus perorandi mihi adeſſe admoneat, pro officio meo ſatis, pro veſtra autem in rebus medicis prudentia plus ſatis dixiſſe videor.

PRÆ-

PRÆLECTIO VII.

A MORBIS iis qui a Nervorum vi deficiente, ex caufa quacunque, proveniunt, et quorum infigniores Prælectionibus fuperioribus ut potui, explicavi, ad diverfum morborum genus orationem converto, Convulfionum variarum formas et caufas, iifdemque medendi rationes traditurus.

In principio autem hujufce differtationis definitione ftatuendum eft, quid fit Convulfio, et quibus notis a motu mufculi confueto et ordinato internofci poffit; quod licet vulgo notiffimum habeatur, perperam tamen et confufe in fcriptis medicorum traditur. Nam, cum Convulfionem tum adeffe dicunt quando mufculus præter hominis voluntatem contrahitur, five id

id perpetuo fiat, ſive quietis quædam intervalla inter contractiones interjiciantur; et tamen interea Septum Tranſverſum, Inteſtina, quin et ipſum Cor (quorum motus naturales ſponte quaſi naturæ, non autem voluntatis imperio fieri, omnes fere quotquot de hiſce rebus ſcripſerunt uno ore conſentiant) hoc morborum genere nonnunquam tentari volunt; oculis certe plus quam Lynceus contendat neceſſe eſt quiſquis inter motus ejuſdem muſculi non voluntarios quinam ad ſpaſticos, quinam ad naturales jure referantur perſpiciet.

Cum igitur ex his certiſſime conſequatur, non omnem muſculorum motum qui præter voluntatem fit Convulſionis nomen recte ſortiri poſſe, niſi ſiquis in Chylo conficiendo inteſtinorum motum, vel in ſanguine propellendo Cordis contractionem conſuetam inter morbos numerare velit; diſpiciendum eſt profecto annon alia quædam nota ſubſit qua Convulſio a cæteris

cæteris musculorum motibus recte dignosci possit. Ut ea igitur nota plane exponatur, nonnulla quæ fusius in alia Prælectione de causa efficiente motus musculorum protuli paucis repetam. Nempe motum musculorum duplicis esse generis, quorum aliud voluntatis imperio subjicitur, aliud, quod eum qui Vitalis nuncupatur continet, minime. Nec tamen credibile esse motus Vitales, licet nobis insciis imo invitis fiant, lege generali quacunque mechanica fieri; at contra, cum rebus fortuito contingentibus, atque improvisis eos apte respondere compertum sit; adeo ut in motuum horum omnium varia intentione et remissione, varia celeritate et tarditate, ratio quædam rerum præsentium semper habeatur; maxime videtur verisimile, principium quoddam prudens hisce omnibus præesse. Et hæc quidem musculorum motus causam efficientem respiciunt.

Causæ

Causæ autem efficienti ita ſubjicitur cauſa mechanica (qualiſcunque ea tandem ſit) ut licet ſolius voluntatis, vel ſolius Principii Vitalis juſſu plerumque agat vel quieſcat muſculus; eveniat tamen aliquando, ut cauſa mechanica, exuto utriuſque, et voluntatis, et Principii Vitalis, imperio, ſui juris fiat: Adeo ut, nec propter finem ullum propoſitum, nec ullo moderamine adhibito, muſculi perverſe, et omnino præter naturam contrahantur. Quod in morbis quibuſdam haud obſcure, in experimentis Anatomicis evidentiſſime conſpicitur.

Animadvertendum eſt præterea, muſculos alios aliis differre ratione cauſarum eorundem motibus præpoſitarum. Quotquot enim muſculorum in motibus ſuis obeundis voluntatis imperio ſubjiciuntur, iidem etiam, ſalute animalis id poſtulante, Principii Vitalis juſſu, nobis etiam invitis, ſæpiſſime contrahuntur. Cum contra, motus eorum muſculorum quibus res vitales gerendi

gerendi negotium eſt concreditum, nos vel inſtituere, vel ſiſtere, vel intendere, vel remittere pro noſtro arbitrio poſſe, in Phyſiologia inauditum puto.

Ex rebus modo expoſitis haud abſurde quis ſtatuat, non quamvis muſculi contractionem, quæ præter noſtram voluntatem fit, pro Convulſione eſſe accipiendam: Cum motus Vitales, in quos proxime voluntatis noſtræ poteſtas nulla eſt, nemo certe medicus inter motus ſpaſticos numerari unquam voluit; præſertim cum ii ipſi muſculi, quos motibus Vitalibus natura præfecit, pariter atque cæteri (ſiqua practicis habenda eſt fides) Convulſionibus ſubjiciantur: At ea ſola muſculi contractio vere et conſtanter Convulſio dici poteſt quæ non a cauſa movente propria, cui a natura ſubjicitur, ſed a quacunque aliena impellente concitatur. Id autem fit, cum muſculos motibus voluntariis inſervientes præter voluntatem noſtram contrahi contingit; aut cum muſculi,

quibus negotium Vitale adminiſtratur, non a Principio Vitali ſed a cauſa mere mechanica in motum impelluntur, nec moderamine Vitalis Principii amplius coerceri poſſunt.

Cavendum eſt autem, ne quis omnes Convulſiones, præſertim eas quibus muſculi, voluntatis imperio præcipue ſubjecti, aliquando rapiuntur, a cæca atque mechanica cauſa abſque omni naturæ aut conſilio aut moderamine ideo exoriri putet, quia exuto motoris proprii et conſueti imperio, a cauſa aliena atque inſolente excitentur: cum contra, experientia medicorum compertiſſimum ſit, Convulſiones raro contingere niſi rebus animalis adeo perturbatis, ut iiſdem medendis et ordinandis majore quodam conamine opus ſit; cumque nihil plerumque naturæ fini conſequendo accommdatius, hiſce Convulſionibus excogitari poſſit, ſive a viſceribus onus alienum dimovendum, ſive ſanguis juſto ſpiſſior eliquandus, ſive humorum tardeſcentium

tium cursus concitandus, sive, postremo, viæ obstructæ referandæ sint. Quod (ut Convulsiones illas salutares, quibus in principio quarundam febrium totum corpus rapitur, omittam) in vomitu, tussi, sternutatione, et parturientium conatibus, cuique animadvertenti satis patet.

At porro, hanc nostram sententiam de naturæ proposito salutari in Convulsionibus instituendis confirmant ea quæ veteres scripta nobis reliquerunt de iis qui hoc morbi genere maxime corripiuntur. Illi enim imprimis quibus naturæ vis alacrior inest, sensusque Vitalis acutior et irritabilior, tum etiam ii quibus ætas morborum inexperta adest, atque adeo, causa quacunque leviore oborta, summo statim conamine periculum propulsare contendunt, omni spasmorum genere præ cæteris tentari solent. Quid enim aliud vult illud Hippocraticum, *Γίνονται δὲ σπασμοὶ ἐξ ἑτοιμοτάτου τοῖσι παιδίοισιν τοῖσι νεωτέροισιν εἰς τὰ ἕπτα ἔτεα.* At-

que illud Celſi, Morbus Comitialis ſæpius viros quam fœminas occupat. Siquidem in viris Vis Vitæ promptior eſt ad morbos propulſandos: in infantibus autem natura maxime irritabilis, atque quovis levi periculo quaſi perterrefacta, ſtatim ad Convulſionem, ſummum quaſi et extremum remedii genus, confugit.

Præterea, in practicorum monumentis traditum habemus cujuſvis ætatis homines eo facilius Convulſionibus corripi ſolere, nova quacunque occaſione oborta, quo frequentius antea cum hoc morbi genere ſunt conflictati; adeo ut in his frequens morbi reverſio quaſi vim conſuetudinis habere videatur, qua natura, quo ſæpius hujus generis auxilio uſa eſt, ad idem repetendum eo promptior atque paratior evadit. At cum vis iſta conſuetudinis nihil aliud ſit, niſi aptior atque habilior rei agendæ ratio vicibus agendi repetitis acquiſita, quæque adeo memoriæ quid ſimile ſubeſſe arguit,

arguit, causis brutis, id est mechanicis, minime convenire videtur; at contra, consilium atque prudentiam quandam naturæ hisce conaminibus inesse haud improbabili argumento docet.

Minime tamen interea diffitendum puto, in morbis gravissimis atque rebus animalis perditis, omnique Principii Vitalis potestate sublata, revera aliquando fieri, ut musculi motibus omnino inconditis contrahantur, qui nullo consilio institui, nullo prudentiæ moderamine geri, ad nullum finem aptari videntur; at qui, contra, nunc quasi fortuito vel his vel illis musculis contingunt, similes iis motibus, quales in membro recens reciso fieri videmus; nunc autem, musculos majores duntaxat corripiunt, ob vim sanguinis impulsi in his musculis majorem.

Facile tamen hoc Convulsionum genus ab ausis salutaribus naturæ contra hostem insurgentis dignoscitur. Hæc enim in morbi principio, vel

ſaltem in ejuſdem incremento, viribus adhuc integris, et præſente quodam ſtimulo irritante, vel copia aut ponderc alicujus materiæ naturam prægravantis, exoriuntur: illud autem in fine morbi cujuſdam acuti, ægri viribus mali diuturnitate fractis, ingruit; vel ſanguinis profuſionem immodicum, vel alvi fluxum effrænatum conſequitur.

Sed a motuum diſtinctione pauliſper diſcedamus, ut fines, quos in illis inſtituendis natura propoſitos habet, contemplemur. Et primum quidem, cnm a medicis experientiſſimis teſtatum habeamus, iis, qui ſpaſmis frequentioribus corripi ſolent, ſanguinem ſpiſſiorem atque copioſiorem plerumque adeſſe; nec in hiſce Convulſionis rediturae præcavendæ rationem eſſe certiorem, quam ſi vena tempeſtive ſecetur, atque id medicamentorum genus adhibeatur, quibus ſanguinem tenacem atque per vaſa exiliora ægre meabilem ſolvendi vis ineſt; ſanguine ita

ita conſtituto quodnam potius naturæ conſilium in hiſce Convulſionibus inſtituendis putemus eſſe, quam ut ſummis ſpaſmorum nixibus ſanguis preſſus atque compulſus mutuo partium ſuarum tritu tenuior fiat; ut quicquid obſtructum in vaſis hæreat propulſi humoris impetu amoveatur, atque vaſa ipſa eodem impetu diſtenta patentiora fiant? Quid, quod liberiore atque expeditiore curſu humoribus per vaſa ſua conciliato, ſecretio et excretio debita promoveantur, et, amandato omni morboſo et alieno, conſtitutio propria ſanguini reddatur atque conſervetur?

At hæc quidem late in Pathologia patent, et ad adminiſtrationem totius negotii vitalis ſpectant. Nec minus prompte partibus ſingularibus laborantibus conſimili ratione natura ſuppetias ferre ſolet. Nam ſi fracta aut depreſſa Calvaria Cerebrum vel leviuſcule comprimatur, hoc malum propulſandum vomitu aggreditur natura;

tura; vomendi enim nixu compresſis vaſis inferioribus, ſanguinem impetu magno et copia adaucta in Cerebri vaſa compellit, ut mole eorum quæ Calvaria continentur diſtenta, parietes nimis arctos dejiciat, Calvariæque depreſſæ fragmina excutiat. Pari ratione, majore tamen molimine, cum puerulo lactenti ventriculum coagulo paulo duriore onerari contigerit, cui expellendo vomendi nixus non ſufficiunt, totius corporis Convulſiones ſæpe inſtituuntur, natura ſcilicet, minoribus auxiliis fruſtra adhibitis, totis ſuis viribus hoſtem aggreditur. Sed exemplis pluribus proferendis ſuperſedebimus, cum ex dictis ſatis pateat hæc maxime Convulſionibus naturam moliri, nempe vel ut ſanguinis conſtitutio juſto ſpiſſior, tenuior et liquidior ſiat: vel ut ſecretione et excretione, aliena et noxia e ſanguine expurgentur: vel ut humores obſtructi et turgeſcentes per vaſa patefacta propellantur: vel poſtremo, ut excutiatur omne

omne id quod aut pondere, aut mole, aut preſſura viſceribus moleſtum eſt.

Convulſio, morbi genus multiforme, ut taceam illas quibus non ſolum in ſternuendo nares, in tuſſiendo pulmo, in vomendo ventriculus vicinaque abdominis viſcera expurgantur, ſed quarum omnium vis in animali latiſſime patent; ut etiam eas quibus in coeundo ſemen, in parturiendo fœtus expellitur; in quinque omnino ſpecies commodiſſime dividatur: quarum prima eſt Spaſmus φυσώδης: Secunda muſculorum contractiones breves et repetitas in febribus nonnullis frequentes, medici Subſultus tendinum appellant continet: Tertia Rigor nervorum: Quarta Chorea Sancti Viti: Quinta Epilepſia dicitur.

Spaſmus φυσώδης quem a flatu exoriri veteres crediderunt muſculos manuum, pedum, et crurum ſæpius; nonnunquam etiam aliarum partium ſummo cruciatu tentat: eſtque omnino duplex: nunc enim totus muſculus

culus ex improviſo Convulſione rapitur, et homo de ſummo dolore quaſi tendinis diſtracti conqueritur: nunc autem muſculi altera parte contracta, altera quieſcente, diſtentis et dilaceratis filis membranaceis faſciculos muſculoſos ſibi invicem connectentibus muſculus ipſe non tendo dolet.

Exoritur autem Spaſmus φυσώδης, non quidem a flatu, unde morbi nomen, plures enim ſunt ejuſdem cauſæ eæque a flatu, disjunctiſſimæ. Imprimis enim ii hoc malo frequentiſſime corripiuntur, quibus, admiſſo frigore, excretioni cuticulari conſuetæ exitus denegatur. Unde fit ut hujuſmodi ſpaſmus maxime ſit familiaris iis, qui æſtatis tempore vel nudis cruribus, vel ſtragulis ſolito paucioribus cooperti dormiunt; atque iis etiam inter natandum, qui aere fervido et ſolſtitiali undis frigidioribus ſeſe proluunt.

Alia cauſa eſt materia morbi alicujus motu naturæ Critico in muſculos

depoſita:

depoſita: ſæpe enim Podagricos, ingruente morbi acceſſione conſueta, hujuſmodi cruciatu tentatos norunt medici. Quinetiam voluntaria muſculi contractio vehementior et diuturnior eundem morbum arceſſit: quod in muſculo ſuræ, Gaſtrocnemio dicto, inter tripudiandum, in digitorum muſculis inter ſcribendum, ſæpe fit. Poſtremo, ii quibus muſculi a cauſa quacunque præter modum diſtenduntur, huic morbo maxime opportuni ſunt: nam, ut omittam ea quæ in membris luxatis et in quorundam ſuppliciorum generibus contingunt, fœminarum in utero geſtantium abdominis muſculos hujuſce morbi vi cum magno dolore ſæpe diſtrahi eſt compertiſſimum.

Quantumcunque autem cauſis memoratis in Spaſmo φυσώδει arceſſendo tribuendum videatur, notari tamen velim, eum nunquam, quantum vel obſervando vel percunctando diſcere potui, muſculum corripere ſolere, niſi conatu

conatu quodam voluntario musculi movendi præcedente. Quod quisque profecto concedendum fatebitur, qui paulo diligentius ad ea quæ, hoc morbo ingruente, ob frigus inter dormiendum admissum, in musculo Gastrocnemio fiunt animum adverterit. Quandoquidem fere non nisi homine expergiscente, atque pandiculatione quadam membra extendente, suræ musculus in hisce hoc spasmi genere rapiatur. Cujus profligandi nulla certior aut promptior ratio est, quam si æger, musculos pedem in contrariam partem moventes lente contrahendo, præsenti Convulsioni obnitatur. At, laxato jam Gastrocnemio, curet et invigilet, ne quem forte motum ope musculi Gastrocnemii instituat: nam minimam hujusce musculi contractionem voluntariam, si maneat in spasmum proclivitas, illico consequitur cum dolore intolerabili Spasmus φυσώδης.

Est et aliud notandum, non cujusvis formæ musculos huic morbo ex æquo

æquo ſubjici, ſed eos maxime quorum fabrica multiplex eſt et compoſita, nempe quos bicipites, et tricipites appellant medici. Siquidem experientia comprobatum eſt muſculos Flexores et Adducentes Pollicis in pede, in Sura autem, Gaſtrocnemium et Soleum, denique in abdomine, Obliquos, hoc ſpaſmi genere ſæpius corripi. Cujus rei ratio non alia ſubeſſe videtur, quam quod vis niſus voluntarii in muſculo contrahendo, qui (niſum dico) ut jam docui ſpaſmum præcedat neceſſe eſt, in muſculis hiſce complexis, quorum fila alia magis aliis obliqua incedunt, ad diverſas partes dirigatur; unde membranulæ reticulatæ faſciculos muſculoſos ſibi invicem nectentes diſtractione inæquali diſtendantur, cauſamque Προηγουμένην inſidias quaſi agentem exſuſcitent, muſculi Convulſione ſtatim ſubſequente.

Quod ad curationem hujus mali attinet, quod longe plus doloris quam periculi habet, in ipſa acceſſione nec certius

nec promptius auxilium esse dixi, quam siquis Convulsioni præsenti, motu in partem contrariam instituto obnitatur. At hoc quidem remedii genus, si musculi aut plantæ pedis subjecti, aut musculi abdominis, aut colli hoc morbo rapiantur, tentandum frustra proponitur; nisi iis quibus, tum musculorum contractorum, tum eorum, quorum actio illorum actioni opponitur, et situs et usus pernoscuntur; medicis nimirum aut anatomicis. Mitescit tamen dolor intolerabilis, si leni frictione vel panno laneo molli, vel manu calida instituta pars affecta mulceatur. Confert etiam oleum calidum inunctum si morbus vehementer urgeat, et balneum tepidum aquæ dulcis, et aquarum naturalium calidarum, quas Thermas medici appellant. Ut autem morbus imposterum præcaveatur, iis, quos dormientes, ob admissum cruribus frigus, invaserit, pluribus stragulis injectis morbi causa est depellenda. In Podagricis autem, Spasmus

φυσώ-

φυσώδης vix nisi accessione podagræ legitima profligatur. Postremo fœminis in utero gestantibus morbi præsentis dolor frictione atque unctione leniatur, situsque corporis sit supinus, vel saltem reclinis, ut pondere uteri incumbentis abdominis musculi quam minime distendantur.

At a morbo hoc leviore, quem ideo inter Spasmos veros numerandum negat Forestus, ad alterum genus Convulsionum transeamus; quod in febribus acutis obortum non leviter et medicos, et ægris adstantes terrere solet. Spasmos illos subitarios et breves intelligo quos, quia frequentiores in tendinibus musculorum, qui digitis movendis inserviunt, notantur (quandoquidem illos tendi, et motu quodam celeri attolli, inter arteriarum pulsum tentandum, percipiunt medici) Tendinum subsultus recentiores appellant.

Exoritur autem Subsultus Tendinum a materia morbida vel acri, vel abundante,

abundante; maxime ſi ejuſdem excretio a cauſa quacunque impediatur; vel ſi, poſt inceptam Criſin ſalutarem, eadem materia e corpore exceſſura in ſanguinem denuo receſſerit. Nam iis, quibus in febribus papulæ vel Miliares, vel Cryſtallinæ confertim ſunt erupturæ, Subſultus Tendinum eſt familiariſſimus; eaſdemque vel recedentes, vel retro pulſas cito pede idem Convulſionis genus inſequitur.

Quod ad præſagitionem attinet, mali profecto morbi nota neceſſe eſt ut habeatur Subſultus Tendinum; cum et morbi magnitudinem indicet, ejuſdemque excretionem vel impeditam vel ſuppreſſam. Attamen ſi in morbi principio, ægri viribus nondum attritis, nec alio funeſto ſigno ſtipatus adſit, ſpes eſt adhuc ægro omnia recte eſſe ceſſura. Non raro enim naturæ, periculi ſibi impendentis certæ, conatum majorem oſtendit. Nec a vero alienum eſt ſuſpicari, his ipſis Convulſionibus morbi cauſam ita concoqui

coqui atque præparari poſſe, ut Criſis ſalutaris certior ſubſequatur. Nec ſententiam hanc temere a me prolatam eſſe arbitror, cum ad ea reſpicio, quæ non mihi ſoli, ſed unicuique veſtrum in febribus per populum graſſantibus compertiſſimum eſt: memoratas nempe Convulſiones cum levi mentis alienatione morbi expulſionem, ſive per papulas purulentas, ſive ſeroſas, ſive aquoſas id fiat, paucas horas præcedere ſolere. Quod ab iſto Hippccatico haud alienum eſt. *Ὁκόσοισιν κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξύσμου.*

At contra, ſi in febribus quibuſcunque, conſueto tempore Critico jam diu præterlapſo, morbo tamen adhuc ſæviente, fractiſque ægri viribus; aut ſi poſt Criſin imperfectam vel ſemel inſtitutam, vel ſæpius repetitam, cum pulſu debili, celerrimo, atque intermittente exoriatur Subſultus Tendinum, grave quidem periculum ægro imminere colligimus. His enim ſignis

morbi vim invalescentem, atque, vi vitæ exsoluta, naturam, luctantem quidem, vincendo tamen imparem, fere cognoscimus.

Quoniam igitur descriptioni harum Convulsionum earundem naturam atque finem adjunximus; quid illis obortis medici sit officium facile judicare poterimus. Sive enim morbi causam, vel magnitudine, vel stimulo, vel quacunque alia ratione motus naturæ insolitos excitantem, sive ipsius naturæ in his motibus instituendis consilium, ut aut morbum concoquat aut concoctum excutiat spectemus; illud certe medico maxime est respiciendum, nimirum ut naturæ cœpta secundet, Crisimque morbi naturalem promoveat.

Quibus vero modis Crisis rectissime promoveri queat, (cum pro morbo, natura, tempore, atque gradu vario; pro ægri viribus fractis, vel illabatis; pro sensu vitali intensiore, vel remissiore; ratio atque methodus varia sit adhibenda)

adhibenda) omitto dicere. Res enim ipſa major eſt, quam quæ brevi atque generali præcepto recte exponi poſſit: particulatim vero et minute omnia perſequi, cum nihil aliud eſſet niſi totam febrium curationem pertractare, ab inſtituto noſtro certe alienum eſſet.

Atque hæc de Convulſionibus in univerſum, de Spaſmo φυσώδει atque Tendinum Subſultu dicta ſufficiant. Prælectionibus inſequentibus reliqua perſequemur.

PRÆLECTIO VIII.

PROPOSITUS legendi ordo orationem noſtram ducit ad eas Convulſiones quas nomine communi Rigorem nervorum Celſus vocat: famoſum ſane apud veteres dolore pariter atque periculo morbi genus; quod tamen nimis leviter et perfunctorie a recentioribus tractatum jure quis miretur; ſive cauſarum ejuſdem frequentiam, ſive periculum vitæ ab eo intentatum, ſive naturæ conſtantiam in illo parem ac in cæteris morbis ſpectare libeat. Sed neſcio quonam malo medicinæ fato fieri dicam, ut quanto plus, adhibitis rationibus mechanicis, in Phyſiologia atque natura morborum explicanda profeciſſe videamur, eo minus ad eorundem tenues atque acutas diſtinctiones animos advertamus;

advertamus; quarum tamen cognitio id momenti in medicina habet; ut ſine his, nec de morbi natura judicium proferre, nec de remedio adhibendo quicquam tuti ſtatuere poſſit medicus. At in hac quidem re noſtri perperam veteres Methodicos imitati, communia ſolum in morbis intueri videntur; maxime tamen a Methodicis diſtantes, quod hi morborum cauſas ſimpliciſſimas quæſiviſſe; noſtri, contra, morborum typos quoſdem generales inepte ſpectaſſe videntur: Aut ſi forte aliquando rem paulo ſubtilius pertractare præ ſe ferant, ægritudinum notas ſæpius ex cauſis earum ſive veris, ſive, ſolis medicorum mentibus conceptis, quam ex rebus evidentibus, morborumque ſpecie ſenſibus noſtris ſubjecta, deſumpſiſſe. Unde fit, ut de toto genere Convulſionum multa atque mira ſcripta habeamus; de variarum autem earundem ſpecierum notis et differentiis, vel pauca, vel confuſa, vel cauſis obſcurioribus innixa.

Atqui hanc meam de aliis ſive ſententiam ſive cenſuram non ideo profero quaſi alienas laudes obterere, vel mihi ipſi nimis arrogare velim: at potius ut veterum ſolertiæ in morborum differentiis notandis honos atque gratia integra maneat; atque ut ſi cui veſtrum in iis minutius perſequendis, quæ et vobis ſunt notiſſima, et quæ plerique vel ſtrictim percurrenda, vel prorſus omittenda cenſuere, nimis diligens et odioſus viſus fuero; et rei ipſius pondere, et exemplis veterum, quorum inſtituta ſequor, memet ipſum tuear.

Nervorum Rigor in ſpecies tres a veteribus diſtribuitur, quarum prima Tetanus, Altera Opiſthotonus, Tertia Emproſthotonus dicitur.

Hiſce autem ſignis dignoſcitur Tetanus. Ingruente morbo oboritur difficilis cervicis motus, muſculorumque ejuſdem tenſio levis cum quadam duritie conjuncta ſentitur. Præterea punctura quædam per muſculos Spinæ ad

ad occiput uſque porrigitur, qui (muſculos dico) contrahi atque convelli quodammodo ſubinde videntur: hiſce accedit dolor inſignis in muſculis circa fauces et tempora, qui maxime intenditur quoties rictum diducere conatur æger: præterea in cibo potuque hauriendo difficultas adeſt, atque in horas augetur; et, ob linguæ motum impeditum, voces minus diſtincte et articulate proferuntur. Omitto muſculorum motus incertos et palpitantes per totum corpus, atque inter ambulandum in pedibus proferendis dolorem in ſuris magis magiſque in horas invaleſcentem.

At, morbo tandem adulto, muſculi, quibus munus eſt maxillam inferiorem attollere, Convulſione vehementiſſima, atque dolore rapiuntur; adeo ut ægro maxillam deducere ſummo ſuo conatu prorſus ſit impoſſibile. Siquis autem, vel cibi vel medicamenti ingerendi gratia, inſtrumento idem moliatur, fruſtra omnino id faciet; cum, propter

Gulam Convulſione conſtrictam, atque linguæ motum impeditum, nec bolum oblatum devorare, nec potionem haurire æger queat: at contra, omne quod in os ingeritur, in eo aut detinetur, aut per nares protinus extunditur. In collo muſculi univerſi cum dolore contrahuntur, et Cervix erecta et quaſi obrigeſcèns nec contorqueri nec flecti poteſt. At malum, quo fauces atque cervix primum rapiebantur, latius per omnes muſculos corporis imperium ſuum dilatat; ita ut Spina rigore inflexilis fiat, crura atque manus extenſæ obrigeſcant, urina prorſus ſupprimatur, quinetiam, ob convulſos ſpirationi ſervientes muſculos, ſpiritus difficilis evadat cum ſibilo atque ſtrangulationis metu: adeo ut revera eo aſthmatis genere quod Convulſivum dicunt æger aliquando e vita rapiatur. Facies porro, ob impeditum ſanguinis motum, nunc rubet, nunc liveſcit, oculi fixi atque lacrymoſi diſtorquentur,

ſtorquentur, arteria tenditur, pulſus indureſcit et obſcurus fit, homoque dolore pariter et labore fatigatus ſudore copioſo perfunditur.

At in Opiſthotono diverſa eſt rerum facies, omniaque ſæviora atque periculoſiora eveniunt. Siquidem ingenti muſculorum et articulorum dolore Spina ad poſteriora inflectitur, caputque Scapulis committitur: homo doloris ſumma acerbitate victus vociferatur, mentiſque alienatione oborta, multas nugas loquitur: guttur atque pectus prominent, venterque intentus, percuſſus, tanquam tympanum ſonat. Spiritus autem, ob pectus muſculis conſtrictum, impeditur; unde in gutture atque pulmone ſtertor atque ſibilus exaudiuntur: nec in his, ut in Tetano, urina pertinaciter retinetur; nam contra, propter Veſicam ſpaſmo vehemente contractam, lotium perpetim effunditur: Præterea, Opiſthotono correptis nec brachia extendi, nec crura contrahi, ab Hippocrate traditum

tum habemus; manuumque digiti in pugnum contrahuntur; pollex autem in pugno includitur: quæ omnia in Tetano contra ſe habent: poſtremo, ſub morbi finem vox intercipitur, et morte inſtante, quicquid ſive cibi ſive medicamenti in os ingeritur, id omne per nares rejicitur.

Emproſthotono denique (nam hoc tertium Rigoris genus ponebatur) correptus homo in partem anteriorem incurvatur, ejuſdemque mentum pectori affigitur: difficilis eſt præterea in hoc morbo digitorum inflexio, at crura contrahuntur, et, propter muſculorum abdominis contractionem, homo Veſicæ pariter ac in Opiſthotono imperare nequit. In morbo autem ſæviore non tam, arcus ad inſtar, in partem anteriorem æger inflectitur, at, cruribus manibuſque conſertis, vertex atque genua ſibi invicem apponuntur. Horrenda ſane atque miſerabilis rerum facies? adeo ut, cum homini hiſce tantis malis implicato nec a naturæ

turæ αὐτάρκεια, nec a medicamentis propinatis ulla convaleſcendi ſpes ſit, ab Aretæo medico benevolo pariter atque prudente ſcriptum video, mortem non ſolum expectandam, verum etiam exoptandam eſſe.

Ex deſcriptione propoſita ſatis patet nervorum Rigorem, licet morbus cervicis a Celſo habeatur, ad omnes muſculos corporis potius pertinere, quorum nullus eſt fere qui non in Tetano convellitur, in Opiſthotono vero atque Emproſthotono complures rapiuntur. Nec recte ſententiam Celſi hac ratione tueri ſe poſſe quis cenſeat, quia nimirum a cervice morbus incipit, partes autem reliquæ in conſenſum rapiantur. Nam, ut de partium conſenſu, cujus rationem alia prælectione ſtrictim atque breviter tradere conatus ſum, omnino taceam; licet prima mali inſtantis ſigna in collo plerumque perſentiſcat æger; id tamen minime perpetuum eſſe Aretæo teſte comprobatur, qui Tetanum, muſculorum

culorum maxillarum morbum eſſe, ſtatuit, quem cum toto copore poſtea communicari vult quia *ἅπαντα ξυμπάθεα τῇσι ἀρχῇσι γίγνεται*. Ex quo conficitur, ſecundum Aretæi ſententiam, morbum a muſculis maxillarum non colli, incipere; nec ipſi, incognita fuiſſe ea quæ de partium conſenſu a medicis tradi ſolent.

Eſt et aliud ex deſcriptione propoſita, colligendum, quod ad prognoſin explicandam multum facere fortaſſe videbitur illi qui recte animum adverterit. Hominem nempe in Opiſthotono eorum muſculorum actione, quorum vis in corpore eſt maxima, diſtortum rapi; iis nimirum, quibus Spina dorſi ad poſteriora flectitur, quibus brachia atque digiti contrahuntur, quibus crura extenduntur: quæ cum ita ſint, cumque præterea a vetere medico, cujus in Pathologia maxima eſt auctoritas ſcriptum ſit, in Opiſthotono gravius periculum ſubeſſe quam cæteris nervorum diſtentionibus;

quamnam

quamnam aliam causam hujusce rei subesse putemus (cum hæc Convulsionis species non nisi rebus animantis perditis atque desperatis superveniat, quod morbi exitu comprobatur) quam, quod exuto et repudiato naturæ imperio, musculi causa duntaxat mechanica contrahantur; cujus, causam dico mechanicam, in musculis memoratis vis longe maxima existit.

Sequitur jam, ut eas notas proponam quibus nervorum Rigor a cæteris Convulsionum generibus distingui possit. A Spasmo φυσώδει facile dignoscitur, licet in hoc morbo pariter atque in nervorum Rigore dolor insignis adsit: differt enim, quod nervorum Rigor vel a Cervice vel saltem a Maxillarum musculis incipiat, atque exinde latius per plurimos corporis musculos propagetur, Spasmus autem φυσώδης unum tantum musculum plerumque occupet, vel plantæ pedis, vel suræ, vel digitorum manus, vel abdominis, nec latius malum extendatur.

Porro

Porro nervorum Rigor a Subſultu Tendinum dignoſcitur; quod in hoc ſpaſmi genere contractiones in membris extremis plerumque fiant, quod etiam breves ſint, nec iiſdem muſculi multum contrahantur, atque adeo quod dolorem nunquam inferant: quæ omnia in nervorum Rigore ſecus fiunt; in quo contractiones muſculorum validæ et pertinaces ſunt, et totum corpus ſummo cruciatu vel diſtenditur, vel diſtorquetur.

At a Chorea Sancti Viti differt, quod in hac alias aliud membrum incertis motibus præter voluntatem convellatur, nec ullum dolorem comitem Chorea habeat.

Denique in Epilepſia, præter muſculorum Convulſiones vagas, quibus totum corpus, incertis motibus diſtorquetur, adeſt omnium ſenſuum quaſi ceſſatio; qui tamen ſenſus in Nervorum Rigore integri atque vigiles officio ſuo funguntur; niſi ſi quando Opiſthotono

tono mentis quædam alienatio præ dolore superveniat.

Est autem quoddam Convulsionis genus sexui sequiori satis familiaris, quod malo Hysterico recte attribuitur; nervorum autem Rigoris æmulum et persimile, quod artus mirum in modum summo dolore spasmis validis et pertinacibus distorqueat: dignoscitur tamen eo, quod nec a Cervice nec a Maxillis incipiat; nec truncum corporis multum vel extendat vel contorqueat; postremo quod causas mali Hysterici non Rigoris Nervorum consequatur.

Rigoris Nervorum multæ causæ numerari possunt, quæ tamen omnes in sequentes commode conferantur. Nempe contusiones aut vulnera nervorum et tendinum: Excretionem cuticularem impeditam: Febrim intempestive suppressam: postremo, vasorum Exinanitionem subitam.

Contusionis vis in Convulsionibus excitandis eo consistere videtur, quod, fabrica

fabrica partis contusæ ictus vi vitiata, jugis humorum motus (quo eorum partes, in horas perpetim putrescendo corruptiores, ad excretionis loca advectæ e corpore expelluntur) vel impediatur, vel interrumpatur; atque adeo brevi humorum eorundem indoles blanda in venenatam quandam qualitatem immutetur. Nam quod a dolore solo in nervis contusione læsis non exoriatur Convulsio, vel hoc argumento maxime evincitur: eos nempe promptissime Nervorum Rigore rapi solere, quibus cum Nervorum contusione vulnus conjungitur: quod non alia causa fieri verisimile est, quam quod succi e vasis Nervorum effusi certiorem et promptiorem corruptionem ob aeris accessum subeant: quæ quidem res Chirurgorum experientissimorum sententia confirmatur; siquidem in contusionibus, nisi vel tensio atque inflammatio gravis, vel gangrænæ instantis metus, vel vas aliquod insigne, sive arteria sive vena, disruptum

disruptum id suadere vel potius flagitare videantur, scalpellum cautissime, humoris ex vasis disruptis effusi emittendi causa, præcipiunt adhiberi; at eundem, paulatim vel resorbendum vel dissipandum esse dicunt.

Eadem ratione nervis vel tendinibus incisis, punctis, vel laceratis Rigor Nervorum supervenit: quem mox invasurum tum profecto metuat medicus, cum neque tumor, neque inflammatio pro vulneris ratione adsint; vel eadem semel oborta sine causa manifesta evanuerint. Et licet a corruptione humorum hæc omnia mala provenire sit verisimile, non ideo tamen putroris insignis notæ in parte læsa sunt semper expectandæ, quandoquidem sæpius fit ut latenter malum invalescat, atque ut homo ex improviso Convulsione rapiatur.

At frigus corporis vehemens nervorum Rigorem nonnunquam sequi scribunt veteres; qui ideo hunc morbum hyeme et autumno frequentiorem,

æſtate rariſſimum eſſe volunt. Quod quidem licet hiſce noſtris terris, utut frigidioribus, rarius accidere puto; cum ex frigore calenti corpori temere admiſſo, gravedines quidam et tuſſes, et laterum dolores, et febres potius (ſaltem iis qui ætate adulti ſunt) quam ullum Convulſionis genus exoriri compertum ſit: attamen Tetano acutiſſimo vigilem quendam, cui excubias agenti ex matutino frigore ſub autumni initium corpus perfrixerat, correptum, atque paucis horis e vita ſublatum vidi. Atqui præterea, obſervationibus veterum fidem faciunt ea quæ de morbis apud Indos Orientales Endemiis ſcripta legimus. Hiſce nempe populis Nervorum Rigorem morbum eſſe maxime familiarem; quod exinde fieri veriſimile videtur, quod ſanguinis excrementa calore ſolis exuſta atque acria per cutem exitura, nocturno frigore illis regionibus maxime penetrabili, ſubito et frequentiſſime repprimantur.

Eadem

Eadem eſt in Nervorum Rigore arceſſendo tertiæ cauſæ quam febris ſuppreſſæ nomine deſignavi vis et ratio: ſive humorum abundantiam minuendi gratia ſanguine intempeſtive miſſo, ſive purgantibus adhibitis, vis vitæ minuatur; ſive medicamentis cujuſcunque vis febrifugæ fama nobilitatis, naturæ motus ſufflaminentur; ſive denique quocunque medicorum morbum a ſede ſua revellendi ſtudio inepto, Criſis naturæ conſilio inſtituta interturbetur.

Quarta cauſa Nervorum Rigoris eſt vaſorum immodica exinanitio, ſive ſanguis e vaſis ruptis vel apertis exhauriatur; ſive humores tenuiores excretione nimis effuſa profundantur: non enim ex vulnere ſolum et abortu, verum etiam ex Elleboro epoto, et Cholera profuſiore ſpaſmum provenire poſſe experientia comprobatum eſt.

At, quod non qualemcunque humorum effuſionem abundantiorem Nervorum Rigor conſequatur, teſtan-

tur ii, quibus vaſa atque vires, aut longa Dyſenteria, aut Urinæ profluvio illo, quod Græci διαβήτην appellant, aut quavis alia humorum lenta profuſione paulatim exhauriuntur: quandoquidem his, nulla motuum turba in muſculis excitata, animi deliquio æger placide plerumque deficit. Subita, contra, atque præceps humorum detractio ſit neceſſe eſt iis qui ex eorum defectu ſpaſmis vehementibus rapiuntur.

At cum a venenis varii generis epotis et copus obrigeſcere, et retro in curvari, et prorſum inflecti a medicis ſcriptum habeamus; venena etiam inter cauſas Rigoris Nervorum a nonnullis numerantur. Verum cum Convulſionibus a veneno profectis ſenſus etiam conſopiri teſtentur ſcriptores, ad Epilepſiam hujuſmodi motus quam ad Nervorum Rigorem verius adſcribendos puto.

Expoſitis hujuſce morbi cauſis, ſequitur jam ut eas notas proponam

quæ

quæ vel ſpe ægros conſolentur, vel metu terreant. Et primum quidem, auctore Aretæo, malum hoc, ut pueris maxime familiare eſt, ita non grave hiſce periculum infert. Quinimo nec fœminis, quibus corpus natura laxius atque humidius eſt, atque adeo magis ἐύροον, cauſæque morbi ſecernendæ atque diſſipandæ aptius. At contra, ſenes, qui et ſicciores et frigidiores, vel (ut verbis phyſiologiæ recentiori magis accommodis utar) quorum fibræ rigidiores, atque natura inertior eſt, rariſſime evadunt. Porro, ſi idem malum vulneri ſuperveniat, aut abortum conſequatur, aut alvi fluxum ſubitum et profuſiorem excipiat, maxime ſi id, medicamento acriore epoto, eveniat, vix ulla eſt ægro convaleſcendi ſpes.

At contra, ſi quia, ob frigus collectum, excretiones per cutim vel impediantur, vel repellantur; aut quia febris ſupprimatur; aut quia cauſa aliqua conſimilis ſubſit; hoc genus Convulſionis exoriatur; idem fe-

brem ſubſequentem judicio ſalutari tollere poſſe non vana quidem ſpes eſt.

In morbi hujus curatione aggredienda ad cauſas ejuſdem varias omnino eſt reſpiciendum. Si itaque ex vulnere Nervorum Rigor exortus ſit, imprimis eſt diſquirendum an ſanguinis profuſio abundantior ſpaſmum præceſſerit; ut diæta, qua vires fractæ refocillari poſſint, inſtituta, alimentis iis adhibitis quæ facile concoqui atque cito per corpus digeri poſſint, humoris profuſi diſpendium compenſetur. Huic fini conſequendo alimenta ſorbilia, qualia ſunt juſcula ex carne animalium juniorum confecta aptiſſima videntur. Jurulenta enim omnia, ut recte a Celſo ſcriptum video, facile intus corrumpuntur; nempe quia facile ſolvuntur: In chylum igitur cito immutantur atque in venas feruntur: citiſſime autem in venas transferri poſſe hujuſce generis alimenta, ex hiſtoria juvenis cujuſdam, apud Lowerum, patet, cui, cum ex ſanguinis

ſanguinis maxima profuſione pene deficeret, atque ſolis juſculis reficeretur, iiſdem abundantius ingeſtis ſanguis fluxu concitatiore crudus atque tenuis e vaſis profuſus epotum juſculum tandem magis quam cruorem referebat.

Quod ſi abſque Hæmorrhagia inſigni, illæſis nimirum venis et Arteriis, ideo ſpaſmo homo corripiatur, quia tendine aut nervo percuſſo, humor effuſus qualitatem tandem venenatam induxerit: curandum eſt imprimis ut Ichori viroſo (ſi forte vulneris ore nimis cito coaleſcente concludatur) chirurgi ſcalpello aperiatur via: ut tendo, ſi percuſſus tantum fuerit, ex Celſi præcepto præcidatur: ut inflammatio ſævior venæ ſectione atque fomentis mitigetur: ut humorum corruptioni occurratur, iis medicamentis vulneri inditis, quæ vi leniore balſamica pariter et laxante, tenſionem permulcere, calorem læſæ partis conſervare, humoreſque putreſcentes condire poſſint: quibus conſequendis nihil aptius reperitur

ritur, quam ſi læſis tendinibus et nervis quodvis ex Balſamis naturalibus applicetur, (quorum tamen vis acrior oleo olivarum dulci permiſto temperetur) atque membrum læſum cataplaſmate quodam calido et diſcutiente involvatur. Verum enim vero, cum chirurgicis auxiliis parum virtutis ineſſe compertum ſit, niſi naturæ, mali magnitudine perturbatæ, medicamentis internis medicus ſuppetias ferat; ingerenda ſunt ea quæ nervorum morbis hujuſmodi prodeſſe uſu atque experientia novimus, ex quibus duo tantum nobis nominare ſufficiat Laſer nimirum et Caſtoreum, quorum vim a medicis veteribus maxime celebratam habemus. Nam quod de virtute Opii in hoc caſu a noſtris quibuſdam prædicatum audio, id futuris experimentis confirmandum cenſeo.

Quod ſi ex corporis perfrictione Nervorum Rigor hominem invaſerit, tum profecto, ex Hippocratis atque veterum Methodicorum præceptis, commode

commode adhiberi poſſunt ea quæ corpori applicata et cutem conſtrictam laxare, et excretiones ſuppreſſas vel evocare vel propellere apta ſunt. Huc ſpectant inunctiones et cataplaſmata, et frictiones et fomenta, et balnea; quibus diligentia curioſiſſima malum hoc graviſſimum aggrediendum veteres præcipiunt: quæ tamen omnia commode conferri poſſe videntur in ea quæ aut laxant, aut ſtimulant, aut pellunt.

Nec admodum huic diſſimilis eſt medendi ratio, ſi a febre, vel Criſi ſalutari ſuppreſſa morbus proveniat: ea nempe ſunt exhibenda quibus naturæ conatus intermiſſi denuo revocentur; ut horum ope id quod ſanitati inimicum eſt e corpore expellatur. Proſunt igitur ea medicamenta quæ intro data leni vi ſua aromatica vaſa extimulando ſanguini motum concitatiorem conciliant; tum ea quæ cuti admota morſu ſuo et naturam ſegneſcentem exſuſcitant, et excitata veſicula

morbum

morbum evocant, et ipſi exituro viam patefaciunt.

Poſtremo, ſi alvi fluxum profuſiorem, ſive a cauſa Epidemica, ſive a medicamento epoto, Nervorum Rigor conſequatur, una profecto ægris ſalus eſt Opium, eo modo atque pondere datum, ut humorum effuſio quam citiſſime ſiſtatur, atque naturæ motus perturbati compeſcantur: at ea res cautionem habet, ne ea copia ingeratur remedium ut vita ſimul cum morbo extinguatur.

Ad Choream Sancti Viti tranſeo, quo nomine Inſaniæ genus quoddam non Convulſionis, primum deſignaſſe videntur medici, quod ex Schenkio atque Platero patet: quorum ſcriptis memoratos quoſdam legimus quaſi furore percitos inexplebili quodam ſaltandi deſiderio tentatos fuiſſe, atque dies noctesque, tripudiando, choreaſque ducendo, ita ſine labore, aut corporis defatigatione conſumpſiſſe, ut exinde multum recrearentur.

Cum

Cum autem huic malo nullum remedium nisi vota superesse vulgus credidisset, nec precibus exaudiendis Deum præsentiorem esse quam Sancti Viti Numen; hinc omnes ad Sancti Viti sacellum tendere, hinc Sancto Vito vota omnes nuncupare. At a multis jam retro annis hoc morbi genus vel penitus exolevit, vel, ejusdem facie paulatim immutata, in ordinem Convulsionum cessit; nisi siquis adhuc morbi veteris vestigia in iis manere putet, quibus miro pariter atque raro Convulsionis genere detentis in directum ambulandi adeo inexpugnabilis necessitas adest, ut vinculis coerceantur oporteat, cum nec rupem nec puteum patentem devitare possint. At morbus hic, quandoquidem eodem detenti nec vident nec intelligunt, ad Epilepsiam potius quam ad Choream referendus videtur.

Morbo autem huic ambulatorio ratione motuum ordinatorum, similis est ille, cujus exemplum a Tulpio memoriæ

moriæ proditum eſt; inter quem tamen et Choream eo convenit, quod in utroque convellantur membra invito homine, ſenſibus tamen integris. Hunc Morbum Tulpius a ſimilitudine Malleationem vocat. Mulier quippe quædam, brachiis in numerum ſublatis atque depreſſis, quaſi ferrum incude atque malleo exercens ictibus vehementibus perpetim genua cædebat: quem quidem laborem lubens refugiſſet, obſtitit autem, auctore Tulpio, falſa quædam imaginatio: Quid igitur? Nonne mente capti ea quæ læſa imaginatio ſuadet lubentes faciunt? At mulier illa invita laborem memoratum exantlavit, coacta quidem, non ſua voluntate (lubens quippe laborem refugiſſet) at certe brachiorum muſculis præter voluntatem contractis.

At motus ordinati et quaſi ad legem quandam compoſiti rariores in Chorea Sancti Viti occurrunt: quandoquidem morbus iſte plerumque incertis muſculorum contractionibus, quibus nunc artus

artus, nunc totum corpus vario incertoque motu et geſtu convelluntur innoteſcit: nec tamen dolor adeſt, quo vel Spaſmo φυσώδει, vel Nervorum Rigore rapti lacerantur; ſentiendique vis integra et incorrupta manet; quod contra fit in Epilepſia, qua qui proſternuntur nec dolorem compuncti ſentiunt, nec oculis ſubjecta vident, nec ſonos auribus percipiunt.

Choreæ autem Sancti Viti non omnis ætas ſexuſque pariter objicitur, ſæpius enim pubeſcentes quam adultiores laborant, fæmellæ ſæpius quam maſculi: at utriuſque ſexus eos præcipue invadit morbus, quorum vaſa ſanguine abundantiore atque craſſiore inferciuntur; vel quibus cutis excrementa, ſudore, vel papulis, vel ſcabie repulſis temere, in corporis interiora convertuntur: vel denique eos quibus tenerior atque imbecillior eſt corporis conſtitutio.

Variis his itaque cauſis opponenda eſt varia modendi ratio. Iis enim quibus

bus a vaſorum plenitudine morbus obortus eſt, et venæ ſectione et purgantibus repetitis humorum copia eſt minuenda. In fæmellis etiam ſub Menſium initium excretio ſanguinis uterina promoveatur, caute tamen atque ſuſpenſa manu, et plethoræ, et virium, et conſtitutionis corporis, Senſuſque Vitalis ratione habita. Facile enim evacuantibus et pellentibus, in quibus recte adhibendis tota fere ratio Menſes deducendi innititur, vel naturæ motus nimis incitari, vel ejuſdem vires ſubrui poſſunt.

At ſi materiam quamcunque per cutim exituram ſive repreſſam ſive repulſam, ſive retentam morbus conſequatur, tum profecto et balnea tepida, et medicamenta ſudorem moventia, et veſicatoria cuti admota res poſtulat, ut horum vi morbus evocetur atque evocatus diſſipetur.

Poſtremo, cum a vaſorum apta conſtitutione, vitæque vi vivida, Chylus in ſanguinem immutetur, et a ſanguine

guine humores utiles ſecernantur, et aliena e corpore expellantur; a debilitate atque inertia vaſorum hunc morbum exoriri poſſe ſuadent tum ea corporis conſtitutio quæ huic malo maxime patet; tum ea quibus id depelli poſſe et * Medici celeberrimi auctoritas et multiplex experientia docuit. Pueri enim teneriores atque Puellæ hoc morbo frequentius conflictantur: quibus ſæpiſſime medentur frequens in frigidam immerſio, et medicamenta ex chalybe parata.

* Vide monita et præcepta medica auctore Ricardo Mead.

PRÆ-

PRÆLECTIO IX.

AD Epilepſiam venio graviſſimum morbi genus, ſive cauſas ejuſdem ſæpe pertinaces, atque medicina nonnunquam inexpugnabiles, ſive periculum vehementioribus ejuſdem acceſſionibus vitæ intentatum, ſive acceſſus morbi improviſos ſpectemus: Hiſce accedat nullum morbum alium majore hominum et ſtupore et terrore conſpici; adeo ut ab antiquiſſimis temporibus, cum tantis in animante motibus excitandis, quales in Epilepſia videmus, cauſas naturales omnino impares vulgus exiſtimaverit, morbum a deorum immortalium ira in pœnas ſontium, aut a malo quodam genio hominumque generi inimico ad miſeros mortales diſcruciandos immiſſum credebat.

Stoicos

Stoicos ferunt ſtudioſe exquiſiviſſe unde verba ducta eſſent; credo quia rerum ipſarum naturam iiſdem expreſſam atque quodammodo explicatam putabant. Nos in paucis ſolum hujuſce morbi nominibus exponendis eoſdem imitari audeamus. Non quidem ut ex nominibus, quorum pleraque aut ſuperſtitio aut inſcitia impoſuit, morbi naturam, ſed ut veterum de eodem ſententias cognoſcamus.

Et primum quidem Epilepſia dicitur, ſecundum Aurelianum, quia totum hominem corripit. Vocatur autem Sacer, vel quia magnus, id eſt difficilis, unde etiam a Celſo morbus major appellatur; vel quia caput afficit; vel, quod veriſimillimum puto, quia eum divinitus immitti, nec ope humana curari poſſe credebat vulgus. A Tralliano *νȣσ© σεληνιάκη* dicitur; quia non niſi pleniluniis vel noviluniis quoſdam homines invadere ſolet. Eundem puerorum morbum vocat Hippocrates; quia his maxime familiaris eſt.

Latini autem morbum Comitialem nuncupavere, quia publicis negotiis omnibus ſtatim obnunciebatur, ſiquis eodem in Comitiis raperetur.

Epilepſiam futuram prænunciant multa quæ inſignem toni vitalis inæqualitatem, humoreſque ad caput abundantiores compulſos atque in ipſo concluſos indicant. Ante enim quam quis Morbo Comitiali corripitur, accedit ſæpe venarum colli diſtentio, atque plenitudo inſignis: caput autem ipſum grave fit, et vertigine circumferri omnia videntur: ſequitur porro ſenſuum vis vel diminuta vel depravata; ſiquidem aures ad voces externas obſurdeſcunt, cum intus in capite vel tinnitus, vel fragor, vel aquæ quaſi conquaſſatæ, vel torrentis, ſonus exauditur: ante oculos vero, qui acceſſu inſtante fixi plerumque et intenti ſunt, vanæ quædam imagines vel aranearum propendentium, vel muſcarum in aere volitantium, vel formarum quarundam ſplendeſcentium,

tium, μαρμάρυγας Græci vocant, obverſari, et nares gravi quodam odore percelli videntur. Cum autem Cerebro a quacunque cauſa compreſſo vel gravato natura vomitu ſoleat ſuccurrere, ſignis memoratis accedunt Hypochondriorum tenſio atque revulſio, et nauſea, et vomitus quo multa pituita e ventriculo nonnunquam extunditur. Quod autem Cerebri potius quam ventriculi gravati cauſa, inſtante Epilepſia oboriantur nauſea et vomitus; tum ea quæ in capite fieri jam dixi indicare videntur, tum etiam id, nempe quod, vacuo ventriculo, Comitiales tantiſper ante morbi inſultum nauſeantes videamus quamdiu ipſis ſigna capitis humoribus repleti et prægravati adſunt.

Atque hæc quidem in Comitialibus acceſſionem brevi futuram denunciant. Sæpe tamen fit, ut nullis ſignis præcedentibus, vel ſaltem iiſdem obſcurioribus præmonitus ſubito atque ex improviſo homo corripiatur. Vel ut

aura quadam frigidula, vel alio quodam ſenſu, quem verbis explicare ſe haud poſſe dicunt ægri, a pedis pollice, vel calcaneo, vel quavis alia corporis particula exorto atque in caput ſenſim obrepente, ſenſuumque mentiſque aciem obtundente, atque perturbante morbus incipiat.

Sed Epilepſia præſente non una ſemper eſt morbi facies; nonunquam enim, primo impetu in muſculos corporis ſuperiores facto, facies diſtorquetur, oculi pervertuntur, multaque ſaliva ex ore defluit: nec mora, quin continuo homo ſenſu omni deſtitutus Sublato clamore membriſque derepente convulſis corruat, atque pro variis muſculis, vi morbi per totum corpus pervagante, tentatis, variis motibus diſtorqueatur. Nunc enim caput, ut in Opiſthotono, ad poſteriora trahitur, nunc prorſum flectitur, nunc motu reciproco hinc inde convertitur. Membra pariter nunc diſtenta rigeſcunt, nunc motu inconſtante multimodis agitantur.

agitantur. At cum muſculos, quos thoracis motibus natura præfecit, invadit morbus, tum profecto vel ſuffocationis vel Apoplexiæ haud inanis metus eſt: maxima enim contentione et labore tum ſpiritus ducitur; atque ob motum ſanguinis impeditum, ipſumque (ſanguinem dico) ſummo muſculorum nixu in caput impulſum, oculi prominent, facies tumet, rubet, livet. Et hocce quidem ſuffocationis periculum etiam mulierculis notum eſſe video; acceſſiones enim comitiales, quibus puerorum facies nigreſcunt, cæteris longe magis metuendas eſſe dicunt. Quinimo in Epilepſia, Cor ipſum non minus affici quam reliqui corporis muſculi ex pulſu arteriarum ſatis conſtat; quem omnimodis variare, quinetiam aliquantiſper nonnunquam ceſſare in hujuſce morbi acceſſionibus, medicis arterias tentantibus ſatis patet; quod et ex faciei pallore, et ſpaſmorum remiſſione, et ſudore frigido, adſtantibus ſatis innoteſcit.

Pallorem autem in acceſſu Epileptico obortum animi deliquio, id eſt cordis motui ceſſanti, non ſemper recte tribui poſſe puto; at contra a vaſorum tono inæquali eum exoriri veriſimile eſt niſi pulſus ſimul deficiat.

Decedente tandem morbo, ejuſdemque vi quaſi ſatiſcente, æger in ſomnum profundum delabitur, atque poſt duros labores exantlatos quaſi requieſcit; et demum tempore interpoſito ſponte experrectus conſurgit omnium quidem immemor quæ præſente morbo paſſus eſt: manent tamen aliquantiſper in membris laſſitudo, in capite gravitas cum ſenſuum torpore quodam, quinetiam in nonnullis vertigines, et oculorum tenebræ, et mentis alienatio, perpeſſi mali veſtigia.

At aliam Epilepſiæ ſpeciem apud Celſum et Cœlium Aurelianum memoratam legimus, Apoplexiæ quidem quam Convulſioni propiorem: ſiquidem in ea membra minime convelluntur, at homo quaſi ſopore quodam alto

alto detentus motu ſenſuque aliquantiſper deſtituitur, et demum ſponte ſua ad ſe redit, ſentiendi atque movendi facultate reſtituta. Multa certe ſunt Epilepſiæ cum Apoplexia communia; quandoquidem ex iis, quæ paulō ante memoravi, ſatis conſtet in morbo Comitiali pariter atque in morbo attonito humorum abundantia Cerebrum ſæpe comprimi; cum et venarum colli diſtentiones, et tenebras oculis objectas, et ſenſuum torporem, et læſam memoriam, morbum utrumvis ex æquo prænunciare compertum ſit. At hiſce ſignis, in Comitialibus, accedunt urina limpida, Hypochondria revulſa, in venerem pruritus ſolito frequentior, quibus certius futuram Convulſionem quam Apoplecticam Nervorum reſolutionem prædicere poſſit medicus.

Formam quidem Auditores et tanquam faciem Epilepſiæ videtis: ſequitur ut ea ſigna proponam quibus a ſimilibus Nervorum morbis internoſci

 poſſit.

poſſit. Et primum ab Apoplexia facile dignoſcitur, cum in hac, motus pariter atque ſenſus plerumque aboleantur; et licet, Celſo Auctore, aliquando fiat, quod et ipſe in puerulis ſæpe vidi, ut morbo Comitiali proſtratus Attonitum potius quam Epilepticum referat, quia membris quieſcentibus, ſenſuque omni ceſſante, alto quaſi ſopore oppreſſus jaceat; attamen ex ætate decumbentis, ex morbi hiſtoria, ex cauſis prægreſſis, poſtremo, ex ipſo morbi eventu facile dijudicare poterimus an in Comitiales vel Attonitos æger referri debeat: ſiquidem Apoplexia fere non niſi natu majores aggreditur, et ægre ſolvitur, et ſoluta Paralyſin fere ſubſequentem habet; denique, reverſa hominem plerumque jugulat: Cum contra Epilepſia junioribus maxime familiaris eſt, et facile, nullaque Paralyſi conſequente, ſolvitur, niſi ſpaſmis vehementioribus obortis: quinetiam intacta vita ſæpe reverti ſolet, et quo ſæpius revertitur

eo

eo ſæpius æger Convulſiones, rarius ſoporem ſine Convulſionibus patitur.

A Catalepſi differt Epilepſia quod in illa, licet ſenſus omnes conſopiti videantur, nullæ tamen Convulſiones adſunt, at, contra, æger eundem prorſus corporis ſtatum retinet quem correptus habuit. A Convulſionibus Hyſtericis multum diſtat Epilepſia; ſiquidem mulieres, quibus id malum familiariſſimum eſt, in ejuſdem acceſſionibus vident, audiunt, animadvertunt, cum contra in Epilepſia ſenſus obſcurantur. Ab omnibus reliquis Spaſmorum generibus interſtinguitur, quod in illis vel ſenſus adeſt, ut in Chorea Sancti Viti; vel dolor, ut in Nervorum Rigore; vel Febris, ut in Subſultu Tendinum: quibus aliæ notæ adjici poſſint ex morborum eorum deſcriptione deſumendæ, et quas temporis cauſa omitto perſequi.

Morbo Comitiali maxime patent infantes nuper in lucem editi, præſertim ii quibus neque pituita in ventri-

culo

culo congeſta vomitu, neque Meconium ex Inteſtinis alvi dejectione expellitur. Deinde ii, quibus, ob dentes mox erupturos, abundantiore ſanguine impulſo caput prægravatur. Præterea pueros frequentius quam adoleſcentes, viros quam fœminas hoc malum adoriri ſolet: vix autem in ſenectute conſtitutos niſi maximis de cauſis. Siquidem in junioribus, quibus et Senſus Vitalis acutus eſt, et naturæ vis alacris atque impigra, omni quod vitæ vel ſaluti adverſatur maximo conamine occurritur; cum contra, in ætate provecta, ob vim vitalem langueſcentem, natura omnia torpide frigideque miniſtrat. Quod ſpectaſſe videtur Cælſus Aurelianus, qui cum cauſam reddit cur malum hoc vehementius afficit infantes nativitati proximos, quam pueros, aut in vergente ætate conſtitutos, hæc habet; Siquidem viribus invalidi (infantes nimirum) paſſionum impetum tolerare non poſſunt: quaſi diceret naturam in ætate teneriore ſuæ im-

imbecillitatis conſciam ſtatim ſummis viribus, ne hoſtis invaleſcat ipſum propulſandum aggredi.

At ab his, de quibus ſatis dixiſſe videmur, diſcedamus, atque ad cauſas morbi Comitialis exponendas progrediamur. Inter quas, numerari ſolet labes hæreditaria, licet incerta fortaſſe et ambigua habeatur. At Epilepticos ab Epilepticis ſæpiſſime genitos eſſe conſtat, licet cur id ita fiat parum fortaſſe explicari poſſit. Verum, cum omnem hanc in Convulſiones proclivitatem naturæ vigili atque alacri, quæ omne id quod corporis ſanitati adverſum eſt ſtatim perſentiſcit, atque expellere conatur, referendam cenſeo (ſive vis illa naturæ atque alacritas a nervorum tenſione eximia, ſive ab alia quavis cauſa, quæ ſubtilior ſit quam quæ noſtrorum ſenſuum acie deprehendi poſſit, oriatur) non magis miranda videtur quam aliæ ſimilitudines eorum qui procreantur, quæ etiam in ingeniis, non ſolum in corporibus apparent.

Alia

Alia cauſa Epilepſiæ refertur ad ea quæ Cerebrum proxime afficiunt, ſive rodendo, ſive irritando, ſive premendo. Nam et a pure in capite concluſo Cerebrum exulcerante; et a fractæ Calvariæ aculeis quibuſdam oſſeis membranas ſubjectas pungentibus; et a Calvaria ictu deſidente et Cerebrum urgente; vel ab eadem arctiore juſto, propter ſuturas præmature coaleſcentes, malum id proveniſſe compertum eſt. In iis autem qui vel a Calvaria deſidente, vel ab eadem, ob cauſam quam modo memoravi, arctiore, vel a tumore oſſis interno Cerebrum urgente, Morbum Comitialem patiuntur, id inſigne eſt; nempe ab omni eo quo vel ſanguinis copia exaugetur, vel ſanguis ipſe rarefieri ſolet, vel in caput rivo pleniore impellitur, morbum plerumque arceſſi. His itaque et cibus plenior, et potus meracior, quinetiam medicamenta illa, Antiepileptica dicta, quibus ſumptis exagitatur

tatur atque incalescit sanguis, sunt maxime aliena.

Nec dissimilis est morbi causa, cum, vasis a sanguine spisso et copioso distentis, ideo quis Epilepticus corruat quia tono vasorum inæquali (quo natura vel sanguinis fluxum e Naribus, vel aliam salutarem vasorum exinanitionem molitur) justo major humorum copia ad corporis superiora impellitur. Siquidem in his malum invasurum prænunciant plenitudo venarum quæ a capite sanguinem reducunt, tum capitis gravitas et torpor, et vertigo, et aurium tinnitus, et caligines oculis objectæ; ex quibus tum Cerebrum sanguine gravatum colligimus; tum finem, quem natura in Convulsionibus instituendis proponit, haud incerta conjectura adsequimur. Nam summa vi Convulsionum sanguis compulsus et compressus liquidior fit; et, amoto omni eo quod obstare possit, per vasa rivo liberiore fertur.

Huc,

Huc, nempe ad inæqualem ſanguinis diſtributionem, referantur Convulſiones illæ quæ ſub dentitionis tempus pueris admodum familiares ſunt, quæ gingivarum inflammationi et dolori minus vere vulgo tribuuntur. Nam, ut omittam infantes in torminibus aliquando dolore longe acerbiore, quam eo quem inter dentiendum pati videntur, citra tamen Convulſionis periculum, lacerari; nec illos maxime Convulſionibus patere, quibus a dentibus erupturis gingivarum ſimplex inflammatio major eſt; experientia conſtat tum maxime Epilepſiam dentientibus eſſe metuendam, cum capitis vaſa ſolito diſtentiora ſunt, oculique quaſi ſomno gravati hebeſcunt, et color in genis ſaturatior inſidit, alvuſque ſupprimitur. Ad ſanguinem igitur in vaſis capitis congeſtum atque concluſum expediendum has Convulſiones a natura inſtitui veriſimilius videtur, quam eoſdem a doloris ſtimulo arceſſi.

Nec

lumbricis motibus et morſu inteſtina irritantibus.

Quædam etiam venena hauſta Epilepſia ſequitur. Quod non quidem ſtimulo atque dolori, quibus ab his aſſumptis inteſtina irritantur, ſolum adſcribendum videtur; at potius poteſtati ei qua toxica radiantis luminis ratione diffuſa caput petunt: Siquidem Arſenico, Mercurio Sublimato, atque venenis aliis ejuſdem generis, quorum vis omnis in eo ſita videtur, ut quicquid inteſtinorum contingant, corrodent ſtatim et exulcerent, raro et quaſi fortuito Convulſiones hauſtis ſuperveniant; vel ſi ſuperveniant ad Nervorum Rigorem potius quam ad Epilepſiam ſunt referendæ: cum contra, Cicuta, Solanum, atque alia venena ex genere plantarum deſumpta, quibus vis quædam conſopiendi pariter atque ſtimulandi ineſt, Convulſiones vehementiſſimas cum ſenſuum omnium ſtupore concitare ſolent.

Excretionem

Nec aliam ob cauſam, niſi ut motus ſanguini obſtructo reſtituatur, Convulſiones pueris, qui inter plorandum ſpiritum diutius cohibere ſolent, et etiam iis, qui tuſſi ſuffocante laborant, oboriri eſt veriſimile: his enim ob ſpirationem intermiſſam ſiſtitur ſanguis per pulmonem tranſiturus, et pueri ſtrangulatorum ad inſtar nigreſcunt: Convulſio autem ſtatim ſuperveniens vice ſpirationis in ſanguine propellendo fungi videtur, donec Thoracis motus conſueti denuo inſtituantur.

Porro, in puerulis Epilepſia arceſſitur a multis quæ vel mole, vel ſtimulo, vel aliena quadam qualitate naturæ ſunt adverſa, nec tamen facile e corpore expelli poſſunt. Frequens eſt enim morbus ab ingeſta pulticula ſpiſſiore quam quæ in ventriculo facile ſolvi poteſt; et a lacte, cum in coagulum durius coiverit, eadem ratione accedunt Convulſiones; poſtremo, a lumbricis

Excretionem morbi Criticam nonnunquam præcedit Epilepſia eandem ſuppreſſam ſæpe ſequitur. Nam ex Convulſionibus obortis Variolas et Morbillos junioribus inſtantes, et mox erupturas prædicere nobis aliquando datur. Pueris item cruſtoſam ſcabiem quacunque cauſa retro cedentem ſæpe Morbus Comitialis excipit, eadem reverſa, tollitur.

At in Epilepſiæ cauſis exquirendis fruſtra ſæpe erit medicus, ſi materiam morbidam tantis motibus excitandis æquam ſemper ſubeſſe exiſtimaverit; cum enim eos a cauſa mere mechanica rariſſime exoriri ſit veriſimile; ſed contra, a natura propter finem conſequendum plerumque inſtituentur; pro ejuſdem naturæ ſenſu atque judicio, ſi ita loqui liceat, eoſdem adminiſtrari oportet. Nonnunquam enim a cauſa leviſſima, a falſa quadam imagine menti objecta, ab ira, terrore, dolore animi, ab Ideis caſu vel arbitrio noſtro conjunctis, et ut dicitur ſociatis,

Epilepſiam pertinaciſſimam, atque maximas turbas in animante cieri poſſe confitendum eſt. Quod cum experientia ſit notiſſimum exempla tacemus, ne in re non dubia teſtibus non neceſſariis videamur uti.

Epilepſiæ cauſis expoſitis, quid de illa diviſione qua veteres morbum hunc in Idiopathicum et Sympathicum diſtribuebant ſtatuendum ſit facile judicare poterimus. Idiopathicum enim a Cerebri ipſius vitio; Sympathicum vero a Cerebri conſenſu et Sympathia cum aliis corporis partibus deducebant. At cum ex iis quæ ſupra expoſui ſatis patere arbitror Epilepſiam eſſe revera naturæ conamen, licet aliquando minus aptum, quo malum aliquod, ſive verum ſive opinatum, propulſare molitur, ſive id in Cerebro ſive in alia quavis corporis parte inſederit; hac ratione neceſſe eſt ut omnis Epilepſia, ſi modo *πάθος* omnino dicenda ſit, Sympathica habeatur. Cum autem aliquando eveniat ut a natura nimis irri-

irritabili atque ſenſu vitali juſto acutiore morbus pendeat, ut in iis quibus naſcentibus a parente inſinuatur, vel in iis quibus non a vitio quocunque corporeo, at ab imagine quadam falſa, vel animi motu vehementiore provenit; diviſio illa veterum adhuc ſatis commode medicis concedi poſſe videtur; cum illa Epilepſiæ ſpecies quæ a vitio quocunque corporis concitatur Sympathica; altera autem Idiopathica nomine ſatis apto dicatur.

Sequitur ut eas obſervationes proponam quibus hujus mali eventum prædicere poſſimus. Primum itaque inter medicos conſtare video, Epilepſiam quæ a parentibus Comitialibus traditur vix unquam ſaneſcere, nec melior ſalutis ſpes eſt illis, qui propter nativum quoddam vitium in corporis fabrica, ſive malam partium conformationem, hoc morbo corripiuntur. Huc referantur pueri quibus a Calvaria arctiore ob ſuturas præmature coaleſcentes, Cerebrum increſcens comprimitur.

 Porro

Porro, Epilepſiam nunc in Morbum Attonitum, nunc in nervorum reſolutionem, aliquando etiam in dementiam immutari poſſe teſtantur Practici, fortaſſe ob ſanguinem vehementius in caput nixibus violentis in morbi acceſſionibus compulſum.

At contra, Epilepſiam tolli poſſe ſpes eſt, ſi, illæſa corporis fabrica, cauſam aliquam fortuito obortam, quales ſunt Lumbrici in inteſtinis deliteſcentes, ſcabies recedens vel repulſa, aliaque conſimilia conſequatur; diſſipata enim, vel expulſa, vel alio quocunque modo ſublata morbi cauſa, evaneſcit etiam Epilepſia. A veteribus traditum habemus nihil magis ad hujus morbi depulſionem ſæpe facere quam ætatis proceſſus; nam in pueris veneris initium in puellis menſtruorum eundem tollere dicunt. An quia in his ſanguis corporis inferiora rivo pleniore petit, et, quod conſequitur, ejuſdem in caput impulſi moles diminuitur? At quos ætatem adultam

conſecutos

confecutos comitatur morbus, cum ipfis plerumque cenfenefcit.

Acceffiones Epilepticæ quo frequentiores revertuntur, eo pertinacior morbus evadit; naturam enim in conatus hujufmodi vehementiores jam nimis proclivem ipfa confuetudo proclivorem facit. Illud etiam de morbo Comitiali a veteribus fcriptum video; fi id malum totum corpus fimul afficiat, nec acceffionis futuræ ullus in aliqua parte fenfus adfit, præterea fi mentis alienatio, vel nervorum refolutio fuperveniat, nullum medicinæ locum effe.

In Epilepfiæ curatione aggredienda ejufdem caufas imprimis medicus refpiciat. Siquidem alia medendi methodo opus eft iis qui a fanguine fpiffo atque copiofo caput petente convulfi cadunt; alia iis quibus, ob cibum alienum vel corruptum, a ventriculo morbus oritur; alia fi a cutis excrementis fuppreffis; alia fi a veneno haufto proveniat; alia fi inter dentiendum;

alia ſi Variolis inſtantibus puerum corripiat. Nam in Epilepſia, ſi in ullo alio morbo, id Celſi veriſſimum eſt, eum nempe recte curaturum eſſe quem prima origo cauſæ non fefellerit.

Duplex eſt autem in univerſum Epilepſiæ curatio, quarum altera ea quæ in morbi acceſſione agenda ſunt præcipit, altera ea quæ ad acceſſiones præcavendas faciunt ſpectat.

In primis itaque morbi acceſſionibus, quo propius ab Apoplexia morbus abeſt, eo magis conveniunt ea quæ Attonitis præſcribi ſolent. Si itaque caducis Convulſio non accedat, tum profecto, niſi infans fuerit æger, ſanguis mittatur; quinetiam ſi adſit Convulſio, idem facere haud alienum erit, ſi ægro ſanguis abundantior ſit, vel ſi in caput vehementius impellatur: quod et ex iis quæ acceſſionem anteceſſere, et ex iis quæ morbo præſente eveniunt quis poſſit cognoſcere. Quibus enim venæ colli atque temporum

porum multo ſanguine diſtenduntur; et facies rubore perfunditur, vel ob vaſa ſanguine referta nigreſcit; maxime ſi ſpaſmos jam remiſſiores ſomnus profundus cum ſpiratione alta, et ſtertore, et ſpuma, pulſu denique magno et tardo conſequatur; hiſce Cerebrum humorum impetu et copia oppreſſum recte ſuſpicemur. Quinimo, præſente morbo, ſternutationem atque vomitum ciere ex Celſi præcepto haud abſurdum erit; et alvum ducere vel medicamento liquido in Rectum Inteſtinum immiſſo, vel glande acri ſuppoſita. Hæc autem poſteriora vomitus ſcilicet et alvi ductio puerulis maxime conveniunt quibus ab ingluvie et cibo crudiore Convulſio concitatur.

At in altera illa curationis parte quæ Convulſionum acceſſiones præcavendas ſpectat; ſi ab humorum copia morbum foveri veriſimile eſt, venæ ſectione atque alvi ductione minuenda eſt utique ſanguinis moles; excretioneſque conſuetæ, ſive ex venis Recti

Inteſtini recluſis, ſive ab utero, menſtruis periodis, ſive a naribus eas ferri familiare ſit, ſi parciores fluxerint promoveantur, ſi ſuſtiterint revocentur. Quinimo ſpiſſiori ſanguinis conſtitutioni, quam ſubeſſe ex pulſu pleno et ſuppreſſo, ex laſſitudine levi de cauſa oborta, ex vitæ genere, ſed maxime ex ſanguinis miſſi conſpectu cognoſcimus; et venæ ſectione, et potu diluto, et victu tenui, poſtremo, medicamentis nonnullis Antiepilepticis, quorum vis in Convulſionibus fugandis in ea facultate ſita videtur qua humores craſſas tenuiores faciunt; qualia ſunt Cinabaris, Sales Alcalini dicti, radices Valerianæ, Pæoniæ, Laſer, Moſchus, Caſtoreum.

At ſi ſcabiem vel humorem acrem quemcunque inepto medicamine ſuppreſſum, vel ſponte ſua recedentem Epilepſia conſecuta ſit; ſumma ope medico nitendum eſt, et balneis aquæ dulcis tepidæ, et frictionibus aſperis, et fomentis cuti admotis, et veſicatoriis,

toriis, poſtremo iis medicamentis quæ intro ſumpta ſudorem movere ſolent, ut cauſa morbi ad cutem denuo revocetur. Quin et illa, balnea, fomenta, veſicatoria, ulcuſcula etiam, vel ferro candente, vel cauſtico medicamento locis commodis inuſta in omni fere Epilepſia pertinaciore cujus cauſa occultior eſt, et medicorum experientiſſimorum præcepta, et ratio ipſa tentanda ſuadent: ſic enim, porta patefacta, pernicioſoque humori exitu idoneo dato erranti naturæ viam comiter monſtramus.

Porro, cum nonnunquam fiat, ut æger Epilepſiam venientem ſentiat, aura quadam frigidiore, aut alia moleſtia inexplicabili ad caput ſenſim aſcendente præmonitus; haud alienum erit ipſum membrum, inſtante acceſſione, injecta faſcia arcte conſtringere, aut igne vel medicamento urente admoto locum unde malum progredi videtur exulcerare, ut cauſa morbi Cerebrum petitura vel intercipiatur vel effluat.

effluat. At cum in hoc Epilepſiæ genere quo acceſſio ab aliqua parte corporis exoriri, atque exinde in caput ſenſim progredi videtur, haud veriſimile ſit ejuſdem cauſam in parte illa quaſi caſtra ſua ſtativa habere, unde data occaſione in provinciam animalem excurrat, atque prædetur; at contra, cum eam per totum corpus una cum ſanguine diffundi ſuadeant hiſtoriæ medicæ; quandoquidem in Morbo Comitiali exorto ab iis excretionibus ſuppreſſis quæ ſanguinis totius defæcationem reſpiciunt, nonnunquam eveniat ut acceſſum inſtantem a loco corporis aliquo ſingulari invaſuram prænunciant ægri; diligenter profecto prima morbi cauſa eſt exquirenda, et remedia huic expellendæ apta comparanda; cum fieri non poſſit quin omne curationis genus quo cauſa non tollitur mancum atque imperfectum ſit, periculumque morbi identidem reverſuri relinquat.

Si a muco vel Meconio non rite expurgato puerulos recens natos Epilepſia invadat, leni quodam medicamento vomitus cieatur, vel alvus ducatur; expulſo enim vitioſo excremento ſponte fere ſua Convulſiones cedunt. Sin a lacte aceſcente atque coagulato morbus proveniat; medicamenta ea quibus acorem deſtruendi vis ineſt, maxime ea quæ abſorbentia appellant medici adhibeantur, atque Rhabarbaro alvus expurgetur. At cum a Lumbricis Convulſiones Epilepticæ concitantur, quos in Inteſtinis deliteſcere merito ſuſpicamur, ſi puerulí dormientes dentibus ſtrideant, multaque illis ex ore ſaliva effluat, et cum clamore ſæpe ex ſomno expergiſcantur; præterea, ſi narium pruritus frequens adſit, et ſpiritus acidum vel crudum oleat, ſi etiam memoratis accedat tuſſis, et ſingultus frequens, et Inteſtinorum diſtentio, cum rugitu et torſione multa; his inquam verminoſa progenies purgantibus medicamentis

deſtruatur

deſtruatur atque expellatur, una cum lenta illa pituita qua in hiſce ægris Inteſtina intus obducuntur, et in qua, niſi diligenter expurgetur, nova vermiculorum proles fota brevi adoleſcet, turbas novas mox datura.

Si dentitioni difficili metus eſt ne Epilepſia ſuperveniat, hoc maxime medico tentandum eſt, ut ſanguinis copia abundantior a capite avertatur. Leni itaque medicamento alvus, ſi tardior deſcenderit, ſubducatur, denti etiam erupturo via chirurgi ſcalpello aperiatur: ipſis autem Convulſionibus nullum præſentius remedium eſſe Spiritu Cornu Cervi vulgari indicio noſtri Sydenhamii docemur: at, cum omnia luſtraveritis, nulla hiſce Convulſionibus præcavendis certior eſt ratio, quod non vice ſimplici in puerula quadam expertus didici, quam ſi aerem urbanum craſſum cum ruſtico puriore æger quam primum commutaverit.

Denique, in omni Epilepſiæ genere, in eo præſertim quod Idiopathicum

habetur,

habetur, animi motibus ſedulo imperandum eſt: Ira autem et terror maxime devitentur: porro, in hoc genere Idiopathico laudantur multa medicamenta quæ vi propria atque, ut dicitur, ſpecifica Convulſionibus adverſari ferunt; quorum celebratiora ſupra memoravi, at in quibus adhibendis diligenter medico diſpiciendum eſt qualis quoque ægro ſenſus Vitalis ineſt, acutior an hebetior? qualis ſit vaſorum naturalis conſtitutio, laxior an adſtrictior? quanta ſanguinis copia? qualis ejuſdem conſtitutio; ſpiſſior an tenuior? Motus denique ejus tardior ſit, an concitatior? Ut his perſpectis quænam ex remediis illis maxime decantatis eligenda, quænam contra rejicienda ſint, errore remoto judicare queat.

Atque hæc Auditores Doctiſſimi de de toto genere Convulſionum dicenda habui, in quarum ratione exponenda ſi, poſthabitis cauſis mechanicis, Convulſionum occaſiones procatarcticas, et fines, quos in tantis motibus inſtituendis

endis natura ſibi proponit, exquirere conatus ſum, ne id mihi vitio vertatis non equidem vereor; id enim feci tum territus exemplis aliorum qui in cauſis mechanicis inveſtigandis loca avia et ſumma caligine obſcurata quo error ferebat pervagaſſe viſi ſunt; tum etiam quia id maxime medicorum intereſſe putabam, ut, occaſionibus procatarcticis cognitis, morbos vel prævenire vel prædicere poſſint, et naturæ finibus præſenſis, ejuſdemque conſiliorum quaſi participes facti, ipſam aberrantem in viam reducere, præcipitantem coercere, ſalutaria molienti recte atque in loco ſecundare.

PRÆLECTIO X.

JAM dudum in alia diſſertatione, cum nervorum actiones exponendas ſuſcepi, de eorum vi atque poteſtate in vaſis animalium intendendis et relaxandis ſtrictim et breviter pro temporis ratione locutus ſum. Cum autem ab hujuſce tenſionis et relaxationis juſto moderamine ita pendeat animantis ſanitas, atque conſervatio; ut nulla alia ratione, vel alimenta, quibus corporis ruituri damna reſarciantur, concoqui, vel concocta in ſanguinem immutari, vel ſanguis per vaſa ſua propelli, vel ab eo humores utiles derivari, vel inutiles amandari, atque e corpore expelli poſſint; viſum eſt rem denuo tractandam ſuſcipere, pauloque uberius et fuſius hujuſce moderaminis vim et in ſanitate conſervanda, et in morborum

morborum impetu propulſando, poſtremo, in morbis ipſis nonnunquam arceſſendis, exponere; ut pateat quanti ſit in Phyſiologia et Pathologia, noviſſe quid in rebus animantis quietis, quid in iiſdem perturbatis nervi faciant.

Rem igitur propoſitam aggrediar, ſi ea prius de natura corporum animantium dixero quibus et ratio et finis rerum explicandarum contineri videtur: ita enim naturæ inſtituto et quaſi conſiliis patefactis, id quod volumus plenius atque dilucidius exponatur.

Et primum quidem compertiſſimum habemus, animantia cuncta ita a natura eſſe comparata, ut, ſimul ac morte animam exhalaverint, eorum cadavera præcipiti, atque in horas invaleſcente putrore corrumpantur. Ea eſt enim natura elementorum e quibus conſtant, ut, licet ſine his ſecum commixtis animantium corpora nulla ſint, omnem tamen conjunctionem hæc ipſa elementa natura averſentur. Siquidem ex his ea quæ magis actuoſa

atque

atque ſubtilia ſunt, Sal nimirum, Oleum, Aqua, vi fermenteſcentis corruptionis commota avolare et in auras diſſipari geſtiunt, manente terra inerte et immutabili. Ita fit, ut, partium minimarum compage ſoluta, ſtructura ipſa dilabatur et corruat.

Atqui, licet hæc in cadaveribus evidentiora ſint, eadem eſt tamen corporis cum anima conſociati in putrorem proclivitas. Cum enim ex iiſdem principiis et cadaver et corpus animatum conſtent, ut corruptioni pariter pateant neceſſario ſequitur. Cur igitur pariter non putreſcunt? Vereor enim ne non ſatis ſit id quod Chryſippo Stoico dictum tribuitur; Animam nempe pro ſale a natura datam. Non enim admodum credibile videtur ut diſſolutio illa naturalis multos annos in compluribus animalibus nulla alia cauſa prohibeatur, quam quod corpus, animæ præſentia, quodammodo conditum conſervetur. At contra, et ratio ſuadet et experientia corpora

malium tam vivorum quam vita functorum vere putrefcere; in viventibus autem particulas putrefcentes a cæteris feparari, excretafque amoveri; quod contra in cadaveribus fieri ab omnibus conceditur.

Hinc nata eft in animalibus cunctis neceffitas alimenti ingerendi, partiumque earum fabricandarum quæ ciborum coctioni inferviunt. At in his partibus variorum liquorum Secretiones fiunt, ut in inteftinis non defint humores ii quibus alimenta folvi, temperari, atque in Chylum immutari poffint: ita enim in locum earum partium quæ excretione jugi diffipantur paratur fuccus alibilis in fanguinem deferendus et per totum corpus digerendus.

At præterea, cum inter inanimum et animal hoc maxime interfit, ut inanimum nihil fentiat vel agat, animal autem fentiat et agat aliquid; cumque omni animalium generi id fit a natura tributum, ut fe, vitam, corpufque

pusque suum tueatur; convenit ut corpus suum ita constitutum habeat, ut rerum impressiones extrinsecus oblatas percipiat, motuque membrorum voluntario ita uti possit, ut ea quæ ad vivendum sint necessaria anquirere et parare, ea, contra, quæ nocitura sunt, propulsare aut declinare possit.

Hisce de causis fit, ut mirabili quodam artificio sensus natura fabricata sit, structura sua varia ad res objectas varias percipiendas accommodatos; quin ut motibus necessariis inservientes musculos finxerit. Hæc vero sensus motusque instrumenta ut propriis suis humoribus irrigentur atque alantur tum usus eorum quam ipsa natura postulat.

Postremo, cum naturæ lege constantissima sit sancitum, ut animal non nisi a materia genitali cuique animalium generi propria, et in eorum corporibus intus præparata atque confecta, procreetur; necesse est, ut in his constituendis animalium soboli fu-

turæ ſit conſultum, ut eorum propago per ſæcula prorogetur.

Cum itaque ex propoſitis ſatis pateat animalium conſervationem hiſce tribus maxime contineri; primo, in humoribus cuique uſui aptis conficiendis; deinde, in iiſdem, ea qua par eſt copia, in loca ſua diſtribuendis; poſtremo, in inutilibus ab utilibus ſecernendis atque e corpore expellendis; naturæ hoc artificium hac Prælectione exponendum ſumam: ita enim optime explicari poſſe puto quid vis nervorum, vaſa animalium intendendo et relaxando, in Phyſiologia valeat.

Et primum quidem, ut videatis quantum pendeat humorum cuique uſui in corpore animantis aptorum confectio a vi nervorum ejuſdem vaſa intendente vel relaxante, non eſt ut multum loquar. Nam ut omittam id, quod in ciborum diſſolutione ea quæ a Veteribus concoctio dicitur, apertiſſimum eſt, eam nimirum diſſolutionem non ſolum a Ventriculi et Inte-

Inteſtinorum motu περιςαλτίκω, verum etiam a tenſione vaſorum, quæ his partibus intexuntur, varia pendere; ſiquidem hujuſce tenſionis vario moderamine varientur etiam qualitates humorum concoctioni inſervientium; ut hæc inquam omittam, certe confectio ſanguinis (unde reliqui humores tanquam a communi fonte derivantur) ex ſucco illo alibili quem Chylum dicimus, Arteriarum juſtæ illi tenſioni qua Chylus in ſanguinem delatus cumque eodem commixtus atque tritus incaleſcit, præcipue referendus videtur. Nam, in animalibus junioribus, ob laxam vaſorum conſtitutionem, et ſanguis tenuior conficitur, et ejuſdem effuſi, ſive caſu aliquo, ut in vulneribus fortuitis, ſive medici præcepto, ut in venæ ſectione, damnum ſerius reſarcitur, quam illis qui ætatis ακμὴν attigerunt. Quid quod etiam in iiſdem ſeneſcentibus, quibus vaſa rigida et inertia exiſtunt, poſt ſanguinem copioſius miſſum, et fri-

gori corporis ſtatim ſupervenienti, et viribus fractis, et aquoſo ſanguinis languori non niſi tardiſſime mederi poſſumus?

Quinetiam eandem ſententiam confirmant ea quæ in malo illo corporis habitu quem *καχέξιαν* Græci vocant facienda præcipiunt medici. In hujuſmodi enim morbo medendo omnis medici cura atque diligentia eo dirigi ſolet, ut humores, ob vaſorum relaxationem et inertiam, ſpiſſi et lenteſcentes, liquidiores et mobiliores fiant; uel ut, iidem crudi et aquoſi aut concoquantur aut diſſipentur; denique, ut vaſa laxa et inertia roborentur et ſtimulentur.

Hinc corporis frictiones atque exercitationes crebræ adhibentur: hinc gummi, aromata, atque medicamenta ex ferro confecta tanquam irritamenta et faces nervis obſtupeſcentibus admoventur. Quæ nec temere nec vana fide adhiberi docet rei eventus: eorum ſiquidem ope pro corporis

corporis pallore atque frigore, calor et rubor naturalis; pro carne molli et flaccefcente, durior et conftrictior corporis habitus; pro debilitate robur; poftremo, pro fenfu hebetiore, nervorum vis acrior et vigilantior exiftit. Atqui hæc quidem vel nulli caufæ præter vim illam qua nervi corporis tenfionem moderantur, vel certe, huic maxime deberi eft confitendum; modo ad ea animum adverterimus quæ in Syncope et Paralyfi eveniunt. Quandoquidem in hifce morbis et vires et tenfionem corporis, vi nervorum refoluta, fimul refolvi videmus. Differt enim profecto vis illa qua corporis elementa fibi invicem adhærefcunt, et quæ in animante non major quam in cadavere, nifi putrore invalefcente, exiftit, a Tono illo Vitali, qui pariter cum nervorum tenfione laxatur et intenditur.

Ex dictis fatis conftare arbitror quantum nervorum vis in vaforum tenfione moderanda valeat ut fanguis

conficiatur. Sequitur, ut quid in reliquis humoribus conficiendis eadem vis faciat dispiciamus. Cum autem id optime intelligi possit ex iis quæ de Secretione mox dicenda sunt, ad id quod secundo loco explicandum proposui, nempe ad humorum distributionem, quatenus a nervorum moderamine pendeat, propero.

In humoribus quibusque in loca sua distribuendis duæ principes vulgo numerantur causæ; quarum prima et maxima habetur vis Cordis musculosa, qua sanguis ex Venis Cordis Ventriculis exceptus in Arterias propellitur; altera autem ab Arteria, quotiescunque a sanguine e Corde emisso distenditur, sese contrahente pendet. Ab Arteria enim contracta sanguinis spissioris reditus ad Cor per Venas promovetur, dum partes ejusdem sanguinis tenuiores eadem vi per vasa tenuiora actæ ad alias vias divertuntur; ut Secretiones et Excretiones, quibus vel salutis vel vitæ conservatio continetur, fiant.

Nam

Nam ex Corde contracto, tanquam ex totius animalis principio per Arteriam magnam (medici Aortam vocant) in ramos innumeros, primo majores, deinde minores, atque deinceps minores ordinibus numero indefinitis in omnes corporis partes profectos et distributos sanguinem compulsum videmus. Cum autem interea necesse sit ut Arteriarum ramuli sensim magnitudine decrescentes eo tandem exilitatis deveniant, ut si qui porro exinde propagentur canales, minores quam ut sanguinem crassiorem recipere possint evadant: et quoniam partium exanguium ea est fabrica et usus, ut per vascula ab Arteriis minoribus emissa humores proprios a sanguine derivent; profecto sequitur diversas esse vias diversosque cursus humorum diversorum qui per animantium corpora deducuntur, dum pars sanguinis crassior Venarum ope ad Cor deducta redit; tenuior autem per ductus tenuiores agitur.

Verun-

Veruntamen, licet ex vaſorum ordinibus modo expoſitis ratio qua humores quique in ſua loca æqualiter diſtribui poſſint, ſatis veriſimiliter explicari poſſe videatur; vereor tamen ne exinde minime exponi poſſit, cur in vaſa ejuſdem ordinis et capacitatis iidem humores nunc recepti per eadem transfundantur, nunc recepti in iiſdem detineantur, nonnunquam, contra, ex iiſdem omnino excludantur.

In illo enim inflammationis genere quod ignem Sacrum ſive Eryſipelas medici appellant, color ex rubro flaveſcens per cutem cum dolore et calore late diffunditur; eundem autem colorem ex alia ſede in aliam migrare ſerpendo ſatis eſt in hoc morbo familiare. Ex quibus intelligitur, ſanguinem tenuiorem, ſive ob bilem, ſive ob ſerum craſſius admixtum, flaveſcentem, locis alienis, et e quibus in ſanitate excluditur, recipi atque in iiſdem retineri; deinde autem, quaſi laxatis clauſtris, per eadem perlabi, atque

atque in loca alia, pariter aliena, demigrare.

At æquabilem ſanguinis diſtributionem non ſolum morbi, verum etiam animi motus evidentiſſime ſolent perturbare. Nam et ira excandeſcentes, et metu exterriti, et pudore erubeſcentes, et lætitia geſtientes, et invidiâ intabeſcentes vultu et colore varii, oris immutatione, ipſis licet tacentibus, occulta pectoris patefaciunt.

Quin et eadem diſtributionis inæqualitas in ætatibus hominum diverſis plane conſpicitur. Nam, in infantibus ſuccum alibilem in caput maxime derivari docet ejuſdem præ cæteris partibus inſignis magnitudo; in pueris vero, eundem in reliquas partes magis copioſe impulſum eſſe ſuadent trunci atque artuum incrementum notabile; denique, in pubeſcentibus, atque adultam jam ætatem attingentibus, partibus procreationi inſervientibus præ cæteris impendi videtur. Quid vero de fœminis in utero geſtantibus,

ſtantibus, quid de lactantibus dicam? cum in his, ad mammas, in illis ad uterum ſolito copioſius alimentum ſuppeditatum requirit ratio prolis conſervandæ a natura inſtituta.

In affectibus vero corporis Paralyticis deficit ſæpe, ſive ob vim propellentem diminutam, ſive ob alias cauſas, humorum debita diſtributio; unde penuria liquorum, quibus jugiter tranſeuntibus in ſanitate diſtendebantur vaſa, membri reſoluti macies et Atrophia ſuperveniunt, quibus morbum difficilem arteque medica raro ſanabilem cognoſcimus.

Cum itaque ex iis, quæ tam in ſanis quam in ægris corporibus fieri compertum eſt, pateat humorum diverſorum diſpenſationem minime ita adminiſtrari, ut idem vaſorum ordo eoſdem ſemper liquores ducat; at contra, ſæpiſſime fieri ut iidem liquores eadem vaſa nunc ſatis libero curſu tranſeant, nunc recepti, in iiſdem concludantur, nunc ne recipiantur

tur quidem; ſequitur profecto eſſe vim quandam quæ vaſa, vario moderamine, conſtringendo vel relaxando, humorum curſum ita flectit, mutat, atque dirigit, ut ea omnia eveniant quæ, experientia teſte, vobis propoſui.

Atque hanc ſane vaſorum tenſionem et remiſſionem a nulla alia cauſa quam a nervorum vi actuoſa pendere nullus certe dubitare poteſt qui ſecum reputat, primum, in omni morbo Paralytico cum vi nervi reſoluta tonum etiam partis cui nervus datur ſimul reſolvi; quod ex carne flaccida, ex pulſu Arteriarum debili, ex macie et Atrophia brevi ſupervenientibus conſtat: Deinde, quod nervorum propagines numeroſæ ad Arterias miſſæ ad nullam rem aliam utiles eſſe poſſunt, niſi ut earundum tonum, atque huic ſubjectum ſanguinis motum regant atque moderentur: quandoquidem in hujuſmodi vaſis nec ſenſu doloris acuto opus eſt, nec Arteriæ vi muſculoſa

losa (contradicent licet plerique Anatomici) contrahuntur, ut taceam id, quod jam dixi, pulsum in membro resoluto mollem atque debilem semper existere: postremo, quod per Pulmonem, Hepar, Lienem, atque Renes simul cum arteriis nervorum frequentes rami propagentur, sanguinis distributioni, et humorum secretioni procul dubio præpositi; doloris autem sensui, qui in his visceribus admodum obscurus est, quam minime inservientes. Nam profecto, nisi forte quis rebus incertis et fortuitis, modo atque ratione certa et præstituta consuli posse credat, in animalibus duplex omnino necesse est ut sit sensus; quorum alter, rerum extrinsecus oblatarum qualitatibus, vel harum eventis, dolori scilicet et voluptati percipiendis aptus est; alter, rebus in animante intus oblatis invigilans, excubias agit, ut pro his hoc vel illo modo sese daturis motus Vitales apte instituantur. Atque hæc

hæc hactenus de humoribus per corporis vaſa diſtribuendis.

Ad rationem Secretionis, qua humores utiles ab inutilibus ſeparantur venio. In qua exponenda multa quidem de particularum ſimilium Attractione mutua, de motu ſanguinis tardiore vel incitatiore, de viarum anguſtia vel laxitate naturali, poſtremo, de ipſa meatuum forma particulis ſecernendis recipiendis apta, movent Phyſici; fruſtra tamen moveant neceſſe eſt, niſi ſimul adhibeant nervorum in vaſis conſtringendis et laxandis poteſtatem et moderamen: quandoquidem ex illis cauſis nec ſingulis, nec conjunctis veriſimiliter ratio deduci poſſe videtur, cur humor ſecretus, quicunque tandem is ſit, nunc parcior, nunc rivo pleniore effundatur; cur interdum flumine continuo, interdum interrupto feratur; cur aliquando ſpiſſus atque tenax, aliquando tenuis et aquoſus ſit: quæ tamen inconſtantia a vaſis contentis vel remiſſis

ſatis

ſatis probabilitur deduci poteſt. At res exemplis illuſtrata clarior fiet.

Lacrymarum igitur Secretionem ſpectemus, quæ eo modo atque menſura ex glandulis huic rei inſervientibus feruntur, ut oculi nitidi et lubrici aſpectum quo velint facile convertant: admoto autem acriore ſtimulo, ſive pulveris incidentis, ſive rei cujuſdam aſperæ affricatæ, copioſiores illico proſiliunt, ut flumine abundantiore auferatur id quod nocet, vel, ut oculi irritati dolor humoris fotu leniatur. In luctu vero, non in Glandulas Lacrymales atque oculos duntaxat humores apto toni moderamine impelli ſolent, verum etiam in caput atque pectus; quod ex oris immutatione, ex capite pleno, ex pectoris gravitate, ex ſpiritu denſo, ex ſuſpiriis denique confirmatur.

In profluvio illo, quo, poſt frigus collectum, humor abundantior a naribus atque faucibus deſcendit; et caput grave, et nares obſtructæ, et oculi

oculi lacrymantes, et vocis offenſio humores in hæc loca copioſiores vaſorum tono inæquali compulſos (ut id quod ſaluti adverſatur a ſanguine ſecretum expellatur) ſatis arguunt. Quin et ex hujuſe morbi ſymptomatis ſeſe ordine excipientibus Toni Vitalis varium moderamen cuique animadvertenti innoteſcit. Nam in morbi principio cum levicula capitis gravitate tenuior et ſolito copioſior in nares pituita deſcendit, cum quodam levi quaſi exulcerationis ſenſu. Hæc autem, pro humoris in vaſa vicina compulſi copia, ingraveſcunt, donec morbus ſtatum ſuum adeptus eſt. Nec tamen interim, aſſidue hiſce malis æque divexatur æger; ſiquidem pituita non perpetim, ſed quaſi interrupto flumine nunc parcior nunc copioſior deſcendit, narium obſtructione atque moleſtia miteſcentibus vel ingraveſcentibus, pro humoris impulſi vaſaque diſtendentis quantitate; donec tandem ſenſim ſoluta vaſorum

tensione causa humoris abundantius appulsi, pituita parcius secreta aquæ dissipatione crassescit, morbo paulatim evanescente.

Quinetiam a vasorum tensione inæquali humores in corporis sedes interiores compulsos, ut excretioni Criticæ via sternatur, sæpe videmus. In febribus enim, Judicium illud, quo alvi fluxu morbi causa e corpore effertur, præcedunt summarum partium frigus, et pallor, cum cutis tensa contractione et pulso parvo; quibus sanguinem ad interiora actum intelligimus. Sequuntur nausea, et gravitas, et molestia cum quodam dolore obscuro atque lassitudine in lumbis, propter Aortam atque vasa Mesenterica sanguine distenta et gravata. Sudore autem Critico oborituro omnia modo dictis contraria eveniunt: nam alvo et urina compressis summa corporis incalescunt et rubent, vaporemque calidum quendam emittunt, qui ante non fuit; simul pulsus plenus, mollis, atque undosus existit;

exiſtit: quæ cuncta ſanguinem ad cutem rivo pleniore delatum viaſque laxatas, ſudorique exituro patentes docent.

Atque hiſce paucis exemplis productis, quid in humoribus ſecernendis faciat vaſorum tenſio varia ſatis confirmaſſe videor; præſertim cum ejus vis ita late et in ſanitate et in morbis pateat ut omnia perſequi pene infinitum eſſet. Quid igitur de urina varia et pro animi perturbatione præſente mutabili dicam? Quid de Salivæ ſecretione, in eſurientibus, alimenti conſpectu vel odore aucta? Quid de viis bilioſis in Hepate arctatis, atque Ictero, propter vehementiorem animi affectum, oborto? Quid de fluxu illo puerperis proprio, λοχεῖα Græci vocant, in horas, leviſſima quaque occaſione, colore et quantitate immutato? Quid de excretione ſputi in Peripneumoniæ principio, ſtatu, declinatione varii; tenuis, craſſi, crudi, cocti, parci, abundantis, pituitoſi, flavi, ſanguinolenti? Quid de materia varia ab

ulceribus dimanante? Quæ quidem omnia, non a ſanguinis impulſu vehementiore vel languidiore; non a vi aliqua fermenteſcente; non a corporum ſimilium attractione mutua; non a meatuum magnitudine vel forma certa atque fixa; ſed a vi nervorum vaſorum tonum ex naturæ inſtituto moderante rectius deduci poſſe arbitror.

PRÆ-

PRÆLECTIO XI.

IN humoribus conficiendis, diſtribuendis, atque ſecernendis quid faciat nervorum Tonus contentior vel remiſſior Prælectione ſuperiore cum expoſuerim; ſequitur ut de ejuſdem vi in morbis arceſſendis et propulſandis diſſeram. Quæ quidem vis quam late in Pathologia patet teſtatur Methodicorum nobilis diſciplina: Hi ſiquidem in morbis curandis ſatis eſſe contendunt, ſiquis communia quædam eorum intueatur. Horum autem tria eſſe genera. Unum Adſtrictum, Alterum Fluens, Tertium Mixtum. Quiſquis igitur in quocunque morbo ei, quod ex his eſt, contrarium opponet, is profecto recte medebitur.

Nec tamen in hiſce ab Aſclepiadum vetuſtiſſima diſciplina alieni videntur

ſententiæ hujuſce principes; licet medicinam ſimpliciorem tradere conati ſint. Hæc enim omnia aliquot ſæculis ante Themiſonem natum Hippocrati auctori vetuſtiſſimo innotuiſſe teſtantur ea que de tempeſtatibus unicuique morbo inferendo opportunis; de iis quæ vel calor vel frigus in nervorum diſtentionibus, in pectoris inflammationibus, in ulceribus, in quam plurimis aliis vitiis efficiunt; ea quæ de fomentis, de balneis, de victus ratione cuique corporis affectui idonea, ſcripta nobis reliquit. Quin et idem Eraſiſtratum ſenſiſſe conſtat ex eo, quod transfuſo ſanguine in loca aliena febrem fieri dixit. Cui quidem Aſclepiades conſentiens ſimile quid in omni morbo fieri putavit. In eo enim ſanitatem contineri dixit, ſi humorum particulæ (atomos ipſe appellavit) meatibus corporis ita apte reſponderent ut facile tranſirent: morbum autem, cum aut ipſæ particulæ majores, aut viæ an-

anguſtiores fierent quam ut per has humores promoveri poterant.

At falſi quidem fuiſſe videntur Methodici in eo, quod omne profluvium laxitati corporis, omnem contra ſecretionis defectum eidem nimis adſtricto tribuebant: quandoquidem in morbis ſæpiſſime omnia contra eveniunt. Quid enim? medicamento purgante epoto, nonne ex inteſtinis irritatis deſcendit proluvies liquida? Poſt Cantharidas cuti admotas, an ſerum a vaſis laxatis potius quam a ſtimulatis et tenſis fertur? Quid Cholera? nonne iis quæ diluunt, quæ mulcent, quæ dolorem leniunt, quæ ſenſum acutum ſtupefaciunt ſedatur? contra, iis, quæ irritant, exaſperatur? Quid? in Diabete, an a tubulis Renum laxtis, quod Methodicorum nonnullis placere video, profluvium urinæ illud deducamus? an potius a nervorum poteſtate ea qua, tenſis vaſis, ad Renes humores acres expellendos natura adigit? Certe febris, et ſitis hujuſce

mali comites individuæ, vaſorum tonum intenſiorem non remiſſiorem juſto arguunt: quod quidem ex eo intelligitur, quod medicamentis ſale calcario abundantibus, atque adeo urinam moventibus, melius quam iis quæ aſtringunt huic malo medemur. Quin et eundem morbum obortis ulceribus in alias corporis partes transferri ſolere medicinam facientibus ſatis notum eſt. Quid de ulceribus in morituris ſponte exſiccatis dicam? Quid de ſputo in Phthiſi extrema ceſſante? ſiquidem hæc naturæ inerti atque fatiſcenti, non vaſorum tenſioni probabiliter ſunt referenda. At in exemplis proferendis ne longiores videamur, id potius ſpectemus unde errorem illum Methodicorum omnem manaſſe veriſimile eſt. Qui quidem non aliunde deducendus videtur, quam quod in profluviorum cauſa quærenda partem a qua humor fertur duntaxat, non vaſa remotiora ſpectabant. Nam licet ipſo profluvio extrema vaſorum unde fertur humor

laxa

laxa quidem arguantur, exiſtit tamen ſæpiſſime vaſorum diſtantium tenſio qua humores in partem laxatam propelluntur. Equidem, ſi quod ipſe ſentio proferre liceat, omnium fere excretorum copiam ſolito majorem conſilio naturæ, id, quod ſaluti inimicum videt, expellendi niſu et contractione vaſorum vehementiore, plerumque deberi puto; rarius eorundem vaſorum laxitati et inertiæ, excipiatis enim velim profluvia illa quæ vires corporis fractas non antecedunt ſed conſequuntur; quales ſunt ſudores Syncopi, Morbo Attonito, Spaſmis lethalibus ſupervenientes; quales ſunt Deſtillationes in Pulmonem Paralyſi reſolutum, atque alia his ſimilia; quæ a debilitate atque laxitate exoriri ex prægreſſi morbi natura, ex victus ratione, ex medicina adhibita conjectare licet.

Atque hæc de Medicina Methodica obiter propoſuiſſe ſatis ſit. Nunc ad inceptum redeo, atque nonnullos morbos exponam quibus vis nervorum in

Tono

Tono vaſorum immutando maxime conſpici atque illuſtrari poſſit. Et quoniam de morbis Capitis inſignioribus alio tempore dixi, Pectoris vitia quædam ſpectemus, atque ex his, id imprimis quod Græci *καταῤῥὸν* Latini autem Deſtillationem vocant; cujus tria genera apud antiquos medicos numerari ſolent; horum duo ad Caput, tertium autem ad Pectus et Pulmonem ruit: quorum omnium tamen eadem eſt ratio: ſiquidem in omnibus humores vel in Caput, vel in Fauces vel in Pulmonem compellendo natura id quod ſaluti corporis alienum eſt excretione ſolito copioſiore expellere molitur.

Catarrhum prænunciant atque comitantur multa quibus ſerum primo in partes corporis interiores, deinde in Caput atque Pectus propulſum eſſe conſtat. Frigus enim leve primum per corporis ſumma pererrat, et ſimul urina ſolito frequentior, et copioſior, quinetiam magis aquoſa fertur. Mox autem

autem apta vaſorum tenſione humor in caput atque pectus compellitur, unde in capite gravitas cum ſenſuum quadam hebetudine; in faucibus aſperatio atque titillatio; in pectore anguſtia quædam et plenitudo. Urina interea parcior et coloratior fertur. Ingraveſcente deinde pectoris anguſtia atque faucium exaſperatione, febricula plerumque accenditur, exoriturque tuſſis qua aut nihil aut tenuis admodum et pauca materia eliditur. Progrediente autem morbo tuſſis plerumque humidior facta glandulas aſperæ Arteriæ nonnihil laxatas ſignificat: id enim aucta excretione intelligitur. Poſtremo, vaſorum ſpaſmo paulatim remiſſo, atque diminuta deſtillante materia, ſputum craſſum atque coctum educitur, liberatoque ſenſim pulmone redit ſanitas.

A Peripneumonia dignoſcitur Catarrhus eo, quod licet in utroque humores rivo pleniore ſolito in Pulmonem compellantur, in Catarrho Sero, in

in Peripneumonia Sanguine magis pulmo gravatur. Itaque in Peripneumonia omnia graviora eveniunt; quandoquidem in Catarrho nec ſitis adeſt, nec febris niſi admodum levis, nec, adeo difficiliter ac in Peripneumonia ſpiritus ducitur, nec facies rubore propter ſanguinis motum impeditum ſuffunditur. Hiſce ſignis accedit, quod in Peripneumonia id quod tuſſi exſcreatur vel cum ſanguine vel cum pure commiſceri ſatis ſit familiare, quod in Catarrho utique inſolentius eſt.

A Phthiſi incipiente certiſſime internoſcatur ſimplex Deſtillatio, quod in Phthiſi tuſſis diu ſicca maneat cum pectoris gravitate, ſpiritu difficili, et cæca atque lenta quadam febre; at in Deſtillatione, mox a morbi principio prodit ſputum, nec pectoris gravitas adeo inſignis ſubeſt. Deſtillatio præterea paucis fere diebus curriculum ſuum conficit, cum, contra, Phthiſis lente atque pedetentim progreditur.

In

In Catarrhi curatione inſtituenda imprimis medico ſpectandum eſt quo naturæ conſilio in hoc morbo memorata ſymptomata arceſſantur. At id quidem ſatis patere arbitror, nempe ut lympha acrior et abundantior a conſueto ſuo itinere per cutis vaſcula extrema retro pulſa atque, in pulmonem converſa per Aſperæ Arteriæ glandulas exitum inveniat. Lymphæ autem exitum per cutem impeditum Catarrhum præcedere docet hujuſce morbi cauſarum enumeratio, quas προηγȣ́μενας Græci vocant, quotidiana experientia comprobata. Catarrhis enim maxime opportuni ſunt ii qui vita umbratili atque delicata fracti corpora ſua quacunque cauſa incaleſcentia aeri frigidiori objiciunt. Quin et eandem ſententiam confirmant ea quæ de morbis cuique anni tempori propriis agens ſcripſit Hippocrates. Deſtillationes ſcilicet autumno maxime incidere propter caloris et frigoris crebras viciſſitudines.

Simili

Simili ratione, conatu tamen plerumque inauſpicato, ſcabiem vel impetiginem repulſam tuſſim et ſpirandi difficultatem ſecutam vidimus, morbi cauſam in ſanguinem reverſam natura per loca aliena expellere moliente.

In Catarrhi itaque curatione perficiat medicus, imprimis, ut humores a cute in pulmonem pulſi ad eandem denuo revocentur; ſin id minus conſequi poſſit, tota deinceps cura in toni moderamine verſetur; ut nimio humorum impetu in pulmonem cohibito, id quod ſanitati adverſatur a ſanguine ſecretum quam minima moleſtia ope tuſſis expellatur.

Ad cutem autem a pulmone revocatur humor repulſus veſtitu corporis multo, calidis ſorbitionibus, calore cubiculi, leni medicamento ſudores proliciente. Hiſce autem non proficientibus, mittendus eſt ſanguis, et alvus ducenda, præſertim ſi febris incipientis

ſigna

ſigna ſubſint, ſi tuſſis ſicca atque vehemens ſit, ſpirandique difficultas ingraveſcat. Detracto enim ſanguine, alvoque ſubducta, ſolvitur quodammodo vaſorum nimia contentio, ſputumque facilius atque copioſius fertur. Quin et medicamentis oleoſis multum deleniri tuſſis ſolet, maxime ſi his lene aliquod Narcoticum adjiciatur: ita enim ſenſus titillationis in pulmone obtunditur, tuſſis acceſſiones rariores fatigant, pituitaque tenuis mora ſpiſſior facta niſu minore ſimul cum morbi cauſa extunditur.

Atque hæc illud benignius Deſtillationis genus, quod ab excretione cuticulari impedita, et per Metaſtaſin in pulmonem delata exoritur, ſpectant. Similis eſt in omni alio Catarrhi genere ratio ſymptomatum, utcunque diſtet curandi methodus; ſive Exanthemata quacunque cauſa recedentia, ſive morbos acutos Criſi imperfecta finitos (ut ſæpe morbillos,) ſive longos (ut Podagram vel mala medicina retropulſam,

tropulſam, vel naturæ inertia, debilitate, poſtremo, errore aliquo conſuetas corporis ſedes deſerentem) morbus conſequatur. Horum ſi quidem omnium proxima cauſa eſt naturæ conamen, utcunque aliquando ineptum illud fuerit, apto Toni Vitalis moderamine excrementum aliquod conſueto exitu deſtitutum per aliam viam e corpore expellendi.

Eſt aliud morbi genus non quidem a vaſorum Tono contentiore, ſed ab eodem remiſſo atque relaxato exortum, quod in numerum Catarrhorum referunt medici, quod etiam quia paucarum horarum ſpatio hominem ſtrangulare ſoleat, Catarrhum ſuffocantem vocant.

Vel infantes, vel ſenectute fractos maxime aggreditur. Infantes quidem eos præcipue quibus puſtulæ ætati illi familiares receſſere quacunque cauſa: Senes autem eos quos a longo tempore morbi pituitoſi exercuere, laxos, obeſos, ſanguine pituitoſo abundantes.

Repente

Repente plerumque hominem adoritur, cum magna ſpirandi difficultate, viriumque reſolutione. Pulmo intus humore compleri videtur, cujus humoris moti, et quaſi ferventis ſonus in gutture exauditur; comitante tuſſicula qua nihil extunditur. Oculi ſplendent atque prominent, facieſque turgidula exiſtit, ut in ſtrangulatis. Ipſe autem æger irrequietus membra huc, illuc, incerto motu jactat; atque, niſi mature ſuccurritur, debilitate, atque pectoris oppreſſione in horas ingraveſcente, Syncope quadam raptus, inopinato extinguitur.

Sequitur ut eas notas proponam quibus hic morbus ab aliis pectoris vitiis, cum quibus ſignis nonnullis conſentire videatur, diſtingui poſſit. A Cordis Polypo hiſce fere dignoſcitur, quod Polypum frequens Lipothymia plerumque præcedere ſoleat, ejuſdemque cauſa ſit frequentiſſima: Catarrhum autem ſuffocantum non niſi caſu antecedat. Præterea, in

Cordis Polypo, niſi, Arteria Pulmonali repente obturata, homo inopinanter exanimatus concidat, ſpiratio integris Thoracis viribus, et forte nonnunquam paulo majore muſculorum contentione fit: at in Catarrho ſuffocante, reſolutis quodammodo iiſdem muſculis, et languente Thoracis motu, ægerrime Spiritus ducitur. Quinetiam in Catarrho ſuffocante exauditur in pulmone quaſi ferventis humoris ſonus, humoribus in pulmonem laxum atque reſolutum abundantiore rivo confluentibus; qui tamen exinde tuſſi, in hiſce ægris impotentiſſima, expelli nequeunt.

Ab illo autem Aſthmatis genere quod, quia convulſionem muſculorum, aut Thoraci movendo, aut Bronchiis contrahendis inſervientium, comitem atque cauſam habet, *σπασμώδεα* medici vocant, hiſce ſignis internoſcitur. Nempe quod in Aſthmate *σπασμώδει* Thorax quaſi a vinculo quodam conſtrictus, muſculorumque ſpaſmo

ſpaſmo compreſſus ægerrime moveatur: in Catarrho autem ſuffocante maximo ejuſdem Thoracis conatu, debiliſſimo licet, ſpiret æger. Quandoquidem in hoc morbo et Thoracis et Bronchiorum muſculi Paralyſi quadam reſolvi, in Aſthmate, contra, σπασμώδει convulſione rapi videntur.

Ex conſpectis hujuſce morbi notis, eundem a nulla alia cauſa veriſimilius deduci poſſe, quam quod muſculi ſpirationi ſervientes reſolutione Paralytica tententur, ſatis patere arbitror: quod curandi ratione maxime confirmatur. Siquidem experientia conſtet eadem fere quæ in Paralyſi curanda proficiunt huic etiam morbo maxime convenire.

In curatione igitur aggredienda id primum medico videndum eſt an multo ſanguine vaſa ſint referta; quod tum ex arteriarum pulſo pleno, tum ex facie rubore ſuffuſa utique intelligi poteſt.

Si ſanguis igitur abundaverit, vena ſecta ejuſdem copia protinus eſt minuenda; maxime ſi Hæmorrhoidum fluxum ſuppreſſum, vel conſuetam cruoris detractionem diu intermiſſam morbus conſecutus ſit.

In iis vero quibus pituita prægravat, omiſſa venæ ſectione, medicamento quodam idoneo vomitus concitetur, ut vomendi nixu ſanguis per capitis vaſa impetu majore adigatur, atque adeo, id quod nervorum actioni impedimento ſit ſive obſtruendo, ſive comprimendo, excutere atque amoliri tentemus. Nec alienum erit medicamento quodam purgante acriore in Rectum Inteſtinum immiſſo alvum ducere; ut hac via quaſi patefacta et monſtrata, natura morbi cauſam per ventris dejectionem deponat. Quin et nervis torpentibus ſtimulos alios admovere convenit, Sinapi, Allio, Cantharidibus cuti impoſitis: ex his autem Cantharides primas tenent, tum quod cæteris haud ſegnius irritent;

tent; tum, quod, excitata in cute veſica, ſerum copioſe detrahant, atque ſimul morbi cauſam e corpore evocent. Remediis memoratis adjicienda ſunt ea quæ vi ſua Aromatica et reſolvente humores craſſos eliquare, ſenſum in nervis ſopitum excitare, vaſorum tonum laxum et flacceſcentem valent intendere. Qualia ſunt medicamenta quædam ex Succino arte Chymica confecta, Sal Ammoniacus Volatilis, Arum Maculatum, Valeriana, Laſer, Galbanum, Ammoniacum, Millepedæ, cum multis aliis ſimilis facultatis, quæ notiora ſunt quam ut eadem nominare neceſſe ſit.

Vi morbi methodo propoſita repreſſa atque profligata, ejuſdem reliquias roborantibus atque Alexipharmacis perſequatur medicus, eandemque viam aliquandiu inſiſtat ut morbo reverſuro occurrat. Præterea, homo recepta demum ſanitate minime ſe languori deſidiæque dedat; at contra pituitoſam ſanguinis indolem, in hiſce

qui huic morbo ſunt opportuni nunquam fere non invaleſcentem, medicamentis quidem pugnet; maxime vero corporis labore atque exercitatione.

Poſtremo, ſi a Podagræ conſuetis acceſſionibus intermiſſis, aut a morbo quocunque cuticulari intro pulſo oriatur malum; tum quidem Cardiaca potui danda, tum Veſicatoria cuti admovenda res poſtulat; ita enim naturæ languenti viribus datis, vel eidem ſegneſcenti admotis ſtimulis, porta denique morbo exituro patefacta, ad antiquas ſedes inteſtinum hoſtem feliciter repulſum iri, ſpem faciunt et ratio et experientia.

Ad alium morbum a tono vaſorum inæquali ortum exponendum venio, quem a ſpiritus difficultate ſymptomate morbi maxime inſigni Græci Ἆσθμα, Latini Anhelationem vocant.

Anhelationis plura numerantur genera in quibus recenſendis ſcriptores haud ſatis definite loqui ſolent. Commoda autem videtur illa mali diviſio

qua

qua primum in Anhelationem continuam, et in illas quæ quieta aliqua tempora intermiſſioneſque ægris præſtant. Ex iis autem quæ tempora quieta intermiſſioneſque præſtant alia certo ordine et periodo revertitur, alia nullo certo temporum intervallo hominem invadit. Alia porro intermittentis Anhelationis eſt diviſio; ſiquidem alia Catarrhi naturam participat, alia ad Convulſiones rectius referatur.

Anhelatio illa quæ Catarrhi naturam participat, et quam, ut vim nervorum in Tono Vitali mutando illuſtrem, hac Prælectione exponendam ſumo; hiſce fere ſignis ſeſe prodit. Acceſſionem præcedunt plerumque anguſtia quædam et moleſtia ſub Cordis Scrobiculo; flatuque Ventriculus cum murmure multo atque ructu diſtendi ſolet. Caput interea, propter ſanguinem vaſorum tono inæquali in ejuſdem vaſa copioſius impulſum, grave fit, doletque cum diſtentionis

ſenſu. Hiſce accedit proclivitas in ſomnum, et corporis, quaſi laſſi, moleſtiſſima inquietudo. Supervenit tuſſis, qua materia craſſa atque viſcida ægre extunditur, ingraveſcente in horas pectoris anguſtia. Febris interea cum calore modico accenditur, urina cruda atque aquoſa fertur. Atque hæc quidem quaſi περλογίζεσι.

Præſente vero acceſſione, quæ hominem fere jam horam unam aut alteram in lecto ſuo compoſitum adoritur, anguſtia pectoris magna preſſum ſeſe ſentit æger; ita, ut protinus e lecto exſurgere ſtrangulationis metu ſæpe cogatur. Spiritus autem tarde, multo labore atque ſibilo, propter anguſtias per quas tranſit, recta cervice atque ſcapulis elevatis trahitur. Porro, (cum cauſarum, propter quas pulmonem natura eſt fabricata, una ſit, ut aeris frigidiuſculi hauſtu cruoris calor motu perpetim invaleſcens perpetim etiam reprimatur) hinc nata eſt in Anhelatione

tione ingens frigidi aeris hauriendi cupiditas, cum tritum ſanguinis in Arteriis Pulmonis, in hoc morbo admodum diſtentis, eſſe maximum neceſſe ſit: nec facile, ob minores Aſperæ Arteriæ ramos compreſſos Aer in ſpirando recipi, et æqualiter in veſiculas ejuſdem pulmonis diſtribui poſſit. In Aſthmatis igiter acceſſione ingraveſcit æſtus, et ſuffocationis metus, ex omni eo quo ſanguis incaleſcere ſolet, ſive id alimentum, ſive medicamentum ſit, ſive cubiculi arctioris calor. Ut ſanguinem in tenſis pulmonum vaſis congeſtum, atque quodammodo concluſum expediat natura, tum vi ſpirandi maxima, tum crebris tuſſiendi nixibus conatur: quibus tamen in acceſſionis principio et ſtatu nihil plerumque eliditur: In declinatione vero, vaſis aliquatenus laxatis, atque adeo humoribus ſecernendis via patefacta, extunditur plerumque pituita colore et ſpiſſitudine varia. Nunc enim narium pituitam refert, nunc alba

alba et pellucida expuitur, aliquando flava, et, ſecundum veteres, bilioſa educitur, nunc vero ſanguine miſcetur, tuſſiendi vi diſruptis Aſperæ Arteriæ vaſculis. Nonnunquam etiam, quod mihi in juvene quodam ſæpe vidiſſe contigit, lympha tenuis ubertim expuitur. Vigente autem morbo, propter vias ſanguinis in pulmone anguſtatas, æger ſpeciem hominis cui collum laqueo conſtringitur refert: oculi enim illacrymantes rubent atque prominent, genæ nigreſcente quodam rubore ſuffunduntur, facies vero reliqua palleſcit. Quin et, vel propter gulam pulmone pleno et tumente compreſſam, vel propter eandem Convulſione quadam conſtrictam, alimenta nonnunquam magna difficultate hauriuntur. Propter ſpiritum vero maxime impeditum multum incaleſcit ſanguis, pulſus increbreſcit, curſuque ſanguinis per pulmonem impedito, inæqualis evadit; quin et nonnunquam intermittit.

At

At non ſolum pulmo, atque exinde caput, hoc malo tentatur, verum etiam morbus in ventriculum et in inteſtina propagatur; depoſita nimirum in hæc viſcera morbi parte; unde ructus et murmur, quin et ſæpenumero liquida alvi dejectio. Porro in acceſſionis principio atque ſtatu urina cruda omnino exiſtit, quæ primum aquoſa, mox vero coloratior fertur: declinante vero morbo, vaſorumque Renalium tono jam remiſſo, turbida et cocta deſcendit.

Remotiores hujuſce morbi cauſæ, quas προηγουμένας medici vocant, plerumque obſcuriores ſunt quam ut in ægris ſingulis quis eas conjectura ſatis certa aſſequi queat: quandoquidem malum, alienum quiddam, propter excretiones minus recte adminiſtratas, ſenſim atque tacite in ſanguine congeſtum ſæpiſſime ſequatur. Nonnunquam vero cauſæ ſatis conſtant; cum febres Criſi imperfecta finitas, morbos cuticulares unguentis retro a cute

UNIVERSITY OF MARYLAND LIBRARY Founded 1813 SCHOOL OF MEDICINE

cute in sanguinem pulsos, pedum tumores pituitosos recedentes, alarum hircum adstringentibus repressum, podagræ accessiones consuetas a causa quacunque intermissas ᾿Ασθμα hoc Periodicum frequenter excepisse medicorum scriptis satis confirmatur.

Suspiriosis aliis accessiones certis intervallis, aliis autem periodo vago reverti solent; citius autem utrisque revertuntur propter aeris mutationes subitas qualescunque; propter ineptam victus rationem (anhelis enim aliena sunt alimenta crassa, dura, facile fermentescentia) postremo, propter animi motus vehementiores.

Anhelationi opportuni sunt ii qui multo et pituitoso sanguine abundant, maxime, si his Hæmorrhagiæ consuetæ jam substiterunt. Præterea, ii quibus Thorax arctior est, vel quibus gibbere Spina dorsi incurvatur. At his quidem ᾿Ασθμα Continuum Periodico est magis familiare. Scire etiam oportet hunc morbum juvenes, quam pueros frequentius

quentius tentare, ſenes frequentius quam juvenes, præcipue ſi illis ulcera, e quibus diu ſanies multa manaverat, ſive medicina inepta ſive ſponte ſua inaruere.

A cauſis morbi remotioribus ad ejuſdem cauſam proximam, unde ſymptomata memorata veriſimillime deduci poſſunt, veniamus. Hæc autem nulla alia videtur quam Vitalis Toni moderamen tale, ut in pulmonis vaſa copioſius ſolito ſanguis adigatur, et quodammodo ibidem concludatur: quo vel exinde Catarrhi ritu per Aſperæ Arteriæ Glandulas id, quod ſaluti inimicum eſt a ſanguine ſecernatur; vel, ut ipſo ſanguino effuſo, per pulmonis vaſa vi ſanguinis congeſti aperta, ejuſdem copia minuatur; vel poſtremo, ut ſanguine juſto craſſiore nixu majore ſpirandi contrito atque ſoluto, ipſe fluorem aptum adipiſcatur.

Sequitur ut proponam quædam quæ de hujuſce morbi eventu, ratione et experientia fretus, prædicat medicus. Anhelationem morbum quidem difficilem

cilem eſſe docent imprimis ejuſdem cauſæ remotiores; quæ cum plerumque obſcuræ ſint, conjectura admodum dubia neceſſe eſt ut iiſdem quæratur apta medicina. Præterea, ſi quando evidentiores exiſtant, ut cum morbi cujuſdam Criſin imperfectam, vel ſuppreſſam Ἄσθμα ſequitur, ſero tamen plerumque ſapimus, quandoquidem motus Criticos revocandi rariſſima in medicina datur occaſio. Quod quidem in hoc morbo eo difficilius factu eſt, quo in eodem arceſſendo primum ſuum inſtitutum mutaviſſe natura videtur, ut id, quod per alias vias expellere fruſtra conata eſt, converſo in pulmonem humorum curſu, per Aſperæ Arteriæ Glandulas, ſi modo id fieri poſſit, tandem expellat. Eſt et aliud in hac re moleſtum, nempe quo ſæpius Anhelationis acceſſiones paſſus eſt æger, eo facilius malum revertitur; quandoquidem in hoc, ſi in ullo alio morbo, vis ea conſuetudinis maxime conſpicitur, qua natura motus inſtitu-

tos

tos repetere eo paratior evadit, quo iiſdem ſæpius uſa eſt.

Anhelationi longæ ſupervenire ſolent in pulmone cruda quædam tubercula, Græci σκιῤῥȣς vocant, propter ſanguinis in vaſis minoribus motum ſæpe impeditum: conſtrictis enim vaſis, humores aquoſi ſubtrahuntur, craſſiores autem ſubſiſtentes coeunt, et materia quadam pituitam vel gypſum referente tandem glandulas pulmonis inſerciunt. Eundem etiam morbum pectoris Hydropem excepiſſe quorundam obſervatione conſtat: nam in frequentibus morbi acceſſionibus propter viarum anguſtiam obſtructo ſanguine, lympha tenuior per vaſorum tunicas quaſi percolata tranſit, et in pectoris cavo ſenſim colligitur. Præterea, poſt longam Anhelationem Hydropem Anaſarcam, vel Aſciten, maxime in pituitoſis, exortum eſſe compertum eſt: at contra, in ſanguineis, eundem morbum in pulmonis inflammationem tranſiiſſe. Rarius,

at

at nonnunquam in Brachiorum Paralyſin mutatam, tranſlata nimirum morbi cauſa in nervos illis membris diſtributos memoratum legimus: at ſæpius Ἄσθμα laxo atque frigido tumore pedum ſublatum, eundemque tumorem reſolutum ſubſecutum eſſe, et ſcriptores medici, et experientia quotidiana confirmant.

In Anhelationis curatione aggrediendа, aliud in acceſſionibus, aliud in earundem intervallis eſt tentandum. Siquidem in intervallis, ut nova acceſſio præcaveatur medico eſt tentandum; præſente autem acceſſione, et præſens ſuffocationis periculum propulſandum; et naturæ, in eo, quod ſaluti adverſatur, expellendo, ſuccurrendum; poſtremo, moleſtiæ, quas ſecum affert acceſſio, leniendæ.

In ſuffocationis periculo propulſando venæ ſectionis maxima quidem vis eſt; nam et molem humoris movendi minuit, et ſanguini craſſo fluorem conciliat; et vaſorum tonum con-

ſtrictum

ſtrictum reſolvit; multas attamen cautiones habet. Quandoquidem, ſi acceſſiones frequentes revertuntur, metuendum eſt ne venæ ſectioni crebrius repetitæ ægri vires non ſufficiant: atque id præterea in hoc morbo incommodi habet frequens venæ ſectio; nempe, quo magis huic exinanitionis generi ægrum conſuefacias, eo minus, eodem omiſſo, proficere queas; cum tamen eo remedii genere uti et ægri vires fractæ, et temperamentum valde pituitoſum, et Hydropis inſtantis metus prohibere poſſint. Niſi igitur ætas juvenilis vel conſiſtens, et ſanguis craſſior et abundantior, et præſens ſuffocationis metus ſanguinis detractionem poſtulent, immo flagitent, melius eſt eam non adhiberi. In acceſſionis principio ex inferioribus partibus medicamentum idoneum infundere ut alvus liquetur multis de cauſis prodeſt. Nam ſubducta fæce craſſiore et putri, eorumque mole, qua Aorta in abdomen deſcendens

comprimitur, diminuta, et ſolvitur aliquatenus corporis tonus nimis intentus, et ſanguis abundantior a partibus corporis ſuperioribus avertitur, et Septo Tranſverſo, in aere ducendo ſeſe contrahenti, locus ceditur: poſtremo, occaſio naturæ datur morbi partem per alvi dejectionem deponendi. Præterea, leni quodam medicamento vomitum ciere haud alienum erit; nam vacuo ventriculo ſpiritus facilius ducitur, ſecretionique per pulmonum glandulas copioſiori via aperitur ſanguine inter vomendum vehementius per pulmonem adacto. Quin et veſicatoria morbi materiam evocando ſpirandi laborem multum levare ſolent; idque magis faciunt ſi cruribus admoveantur. Proſunt potui data ea medicamenta quæ humores craſſos liquare, quæ ſanguinis fervorem inhibere, quæ tuſſim lenire, quæ ſputum movere ſolent; qualia ſunt acetum Scilla medicatum, Nitrum, Sal Ammoniacum, Oleum

Oleum Lini recens: quin et Narcotica ex Papaveris ſucco leniſſima cum Oxymelle veſperi adhibita et vaſorum Tonum nimis adſtrictum laxant, et ſomnum conciliant, nec obſtant quin ſputum ſatis copioſe prodeat. Æger autem amplo conclavi eſt tenendus quo multum et purum et frigidiuſculum aerem haurire poſſit, neque multis veſtimentis ſtrangulandus, ſed admodum levibus velandus: Ita enim coercetur in pulmone ſanguinis obſtructi et incaleſcentis æſtus. Anhelantibus vero aptiſſimus eſt cibus humidus aut certe humori quam proximus, utique ex ea materia quæ leviſſima eſt, maximeque ſorbitio.

In acceſſionum intervallis tentandum eſt ut materia acceſſioni futuræ anſam datura excretione ſubducta intercipiatur. Vomitum igitur ſubinde ciere utile erit, præſertim in pituitoſis, ut humores lenti, quibus in hiſce plerumque pulmo gravatur, in Aſperam Arteriam propulſi tuſſi extundantur: et

porro, ut vomendi nixu, cujus vis in animante latiſſime patet, ſanguinis curſus per omnia vaſa incitatior fiat, atque adeo per omnes glandulas (ut quæque cuique humori excernendo apta ſit) materiæ morbi expellendæ, via aperiatur. Medicamenta etiam ea quæ dejectionem movent anhelis nonnunquam data profuiſſe compertum eſt, habita tamen in ægro temperamenti ratione: ſiquidem iis, quibus abundat pituita, acriora purgantia magis conveniunt; calidis vero et bilioſis leniora præſtat adhibere. Præterea, in acceſſione præcavenda eorum quæ urinam movent medicorum ſuffragiis eſt nobilitata virtus: Siquidem hujus generis medicamenta ſerum inutile ad renes derivant, et expellunt; quin et in pituitoſis, ſanguinem craſſum extenuando, proſunt. Quod ad victus rationem attinet, fugienda ſunt omnia ea quæ craſſam pituitam in nobis faciunt; acria etiam fermenteſcentia; quæque ſanguinem multum rarefaciunt; ne ſtimulo vel diſtentione

ſtentione nimia vaſorum provocetur morbi acceſſio.

Si ſanguinis fluxum conſuetum ſive ſponte ſua ſubſiſtentem, ſive arte mala ſuppreſſam Ἆσθμα ſubſequatur; tum omni cura nitatur medicus ut revocetur ſolita Hæmorrhagia. Poſtremo, ſi ab humore alieno, podagra nempe retrocedente, aut morbo cutis repreſſo malum proveniat; tum profecto morbus ad ſedem ſuam antiquam reducetur, humorque alienus omni ope minuatur: primum faciunt medicamenta cardiaca recte adhibita, alterum vero fonticuli et veſicatoria.

PRÆLECTIO XII.

A Pulmone ad Inteſtina devenio, quorum Hæmorrhagias, non eas quidem quæ ab eorum tunicis exulceratis, qualem in Dyſenteria videmus; ſed eas, quæ a diſtentis vel diſruptis vaſis a ſanguine abundantius compulſo exoriuntur, exponendas ſuſcipio; ut in his quoque morbis quid Nervorum Moderamen in vaſis intendendis vel relaxandis faciat videatis.

In ipſo autem limine haud alienum erit veterum medicorum de toto Hæmorrhagiarum genere ſententiam proponere, ut de re ſuſcepta uberius atque dilucidius diſſeram. A quatuor omnino cauſis fluxum ſanguinis Veteres deducunt. Nam vel a vaſis diſruptis, ut cum vis aliqua præceſſit: vel

vel ab iiſdem roſis atque exeſis, quod in Carcinomate exulcerato, et in Dyſenteria ſæpe videmus: vel a vaſorum extremis a ſanguine compulſo diſtentis atque dilatatis, ut in Fluxu fœminarum Menſtruo: vel denique cum ſanguis tenuior per venarum tunicas quaſi percolatus deſtillat, quod in Scorbuto nonunquam fieri Practicorum obſervatio docuit. Harum cauſarum notas quibus internoſcantur ſequitur ut proponam.

Cum igitur a vaſe aliquo diſrupto profluit ſanguis, cognoſcitur id quidem, quod dolor partis unde fertur profluvium præceſſerit; vel, quod ictus aliquis, vel caſus, vel magna muſculorum contentio fuerit, vel ſaltem inſignis vaſorum plenitudo; quod ſubito ſanguis eruperit; vel denique, quod rivo pleno et continuo fere a principio fluat. Contra, ſi e vaſe exeſo exeat ſanguis, primo quidem parcior, et cum pure vel ſanie commixtus fertur, mox autem copioſior

prodit: præterea, aut ſanguinis acrioris, aut ulceris, notæ anteceſſere At ſi e diſtentis vaſorum finibus, iiſque patefactis ſanguis erumpat; tum ſigna quibus partem ſanguine gravatam cognoſcimus prægreſſa ſunt, gravitas nempe, diſtentio, pulſus, habetudo: præterea, ſanguis modicus primo, mox copioſior exit, nec tamen flumine fertur continuo, ſed quibuſdam quaſi intervallis; morbo miteſcente vel ingraveſcente pro vaſis ſanguinem compellentibus laxatis vel intentis. Poſtremo, ſi ſanguis per ipſas vaſorum tunicas quaſi percolatus tranſit, ideo quia tenuior juſto ſit; id cum ex morbo comitante vel prægreſſo dignoſcitur, tum ex eo, quod ſanguis paucus plerumque et tenuis exeat.

Ex iis quibus ſanguis erumpit multum terreri debet is, cui, propter vas aliquod exeſum, id malum accidit: metus eſt enim ne latius ſerpat exulceratio, atque ut ſanguis profuſior exeat: quod iis maxime familiare eſt

quibus

quibus Carcinomate vaſa exeduntur. At, ſi in Pulmone eroſio illa fiat, puris ſputum atque tabes plerumque conſequuntur. Nec ei minus metuendum eſt, cui a diſrupta intus Arteria aliqua majore ſanguis ubertim atque cum impetu fertur: id enim vaſorum genus vi ſanguinis ſingulis pulſibus diſtentum ægre coaleſcit. quod ſi a Vena diſrupta profluvium fiat is caſus levior eſſe ſolet: maxime ſi Vena non adeo magna ſit. Si ſanguis tenuior per vaſorum tunicas *διαπηδήσει* tranſeat, mali certe ominis eſt; cum ſanguinem valde ſolutum, et Sphaceli inſtantis periculum ſignificet. Tutiſſima autem eſt Hæmorrhagia, cum ſanguinis, vel propter membrum aliquod mutilatum, vel propter corporis exercitationes conſuetas intermiſſas, vel propter compreſſam aliquam excretionem neceſſariam, abundantioris, patefactis ſive Arteriarum ſive Venarum oſculis, naturæ inſtituto copia minuitur: onere enim inutili

inutili depoſito, ſæpe ſponte ſua ſubſiſtit ſanguis, vel certe raro fit quin medicina coerceri poſſit. Atque hæc de Hæmorrhagiæ natura generatim dicta ſint. Nunc ad eam qua a Ventriculo et Inteſtinis ſanguis fertur, variaſque ejuſdem diviſiones explicandas aggredior.

Si a Ventriculi vaſis ſanguis intus profluxurus ſit, id hiſce ſignis præſentiri poteſt. Exoritur primo lumborum et coxarum dolor, et gravitas, quibus Vaſa Cœliaca et Meſenterica ſanguine abundante diſtendi facile intelligitur: mox ſequitur moleſtia quaſi a pondere Cordis Scrobiculo incumbente, cum diſtentionis ſenſu atque dolore plerumque in Hypochondrio ſiniſtro in loco ubi eſt Ventriculus, maxime circa Cardiam: quibus notis a vaſis Ventriculi potius quam Inteſtinorum profluvium futurum eſt prædicendum.

Effuſo autem in viſceris cavum ſanguine, accedunt nauſea, et cardialgia,

dialgia, et Ventriculi diſtentio, corrupto atque putrefacto intus cruore: quinetiam eadem de cauſa nonnunquam febrem accendi poſſe veterum obſervationibus conſtat. Sanguis autem craſſus plerumque et nigricans (ſi mora inter ejuſdem effuſionem et ejectionem interveniat) vomitu extunditur, ſudore frigido et animi defectione ſupervenientibus: hujus autem (ſanguinem dico) pars ex alvo ſubinde fertur atra, atque pici liquidæ ſimillima; qua tamen lintea intincta rubent: ut hac nota facilis inter ſanguinem e vaſis effuſum, et humorem bilioſum, cujus color vel ab alimentis, vel a medicamentis quibuſdam hauſtis forte ſit immutatus, diſtinctio fieri poſſit.

Sanguinis vomitus inter Hæmorrhagias rarior eſt, fœminis vero quam viris familiarior; quin et his ægrius comprimitur, illis ſæpe ſponte ſua ſubſiſtit; maxime ſi menſes ſuppreſſos conſecutus ſit: iiſdem etiam revocatis

ſanguinis

ſanguinis vomitum ceſſare apud Hippocratem legimus. Inter viros autem, hoc malo ii maxime tentari ſolent quibus conſuetæ ſanguinis profuſiones ſive a naribus, ſive a venis Recti Inteſtini apertis, ſubſtiterunt: ſæpe etiam illis quibus tenſior atque gracilior corporis habitus eſt, et quibus ſanguis abundat; rarius, aliquando tamen, mollioribus et obeſioribus hoc vitium contigiſſe ſcribunt medici exercitatiores.

De cauſis hujuſce morbi nunc dicendum eſt: quarum remotior eſt ſanguinis copia juſto major: id enim ex illorum natura ſpectata quibus eſt maxime familiaris, atque excretionibus iis, quas ſuppreſſas hic morbus conſequi ſolet, recte colligere poſſe videmur.

Abundantiæ vero hujus minuendæ gratia ſanguis in vaſa Meſenterica et Coeliaca apto toni moderamine ubertim compulſus in laxatos eorundem ramos, tenuiores quam qui ſanguinem ducere ſolent,

ſolent, progreditur; atque tandem per extremos eorundem fines in tunica Ventriculi Villoſa, diſtentione non ruptione patefactos, in Ventriculi cavum deſtillat: atque ita maxime ex naturæ inſtituto id quod mole nimia ſaluti adverſatur ſimplici vaſorum αναςομώσει deponitur.

Fit tamen aliquando, ut vel propter naturam nimis irritabilem; vel propter ſanguinem aut animi motibus, aut minus apta victus ratione, aut medicamentis commotum; vel denique vehementibus vomendi nixibus humore violentius adacto; dirumpantur vaſa, atque cruor ſine modo flumine continuo effundatur: qui caſus brevi lethalis eſſe ſolet. Quin et in febribus acutis ſanguinem vomitu rejicere maximum ſubeſſe periculum ſignificat: at idem poſt ſigna Judicationis prægreſſa tempore critico accidiſſe Hippocratis obſervatione ſalutare fuiſſe conſtat: cum illi, contra, quibus dolores Hypochondriorum, oris

Ventriculi,

Ventriculi, Hepatis, et partium circa umbilicum adſunt, ſanguine non excreto moriantur: cruori enim adacto in vaſa anguſtiora exitu denegato, ſequitur profecto inflammatio partium obſtructarum et Gangræna.

In curatione hujuſce morbi tentanda, venæ ſectione imprimis minuatur vaſorum plenitudo; ita enim recte id, quod in hoc morbo arceſſendo natura molitur, conſequemur. At in hoc remedii genere adhibendo, et cauſæ morbi, et virium, et pulſus ratio eſt habenda; ne ſi quem ex prægreſſa vaſorum exinanitione animi defectione reſolutum, vena intempeſtive ſecta, occidiſſe videatur medicus. Proximum eſt, ut medicamento apto in Rectum Inteſtinum immiſſo, alvus liquetur, et ſtercoris durioris moles ſubducatur; quo ſanguinis curſus per Inteſtinorum vaſa liberior ſiet, et fomento quaſi admoto relaxetur vaſorum tonus inæqualis.

Præterea,

Præterea, tentandum eſt ut ſiquid cruoris effuſi poſt vomitionem in Ventriculo maneat, id, non quidem per ſuperiora, ne vomendi conatu exacerbetur malum, ſed leni quodam medicamento per inferiora expurgetur; ne putrefacto intus cruore febris accendatur, et humorum motu vehementiore facto, vel continuetur vel revocetur ſanguinis profluvium. Siquidem in hoc malo, ſi in ullo alio, omnis medici cura et diligentia in eo evigilare debet, ut æſtus ſanguinis ferventior temperetur; motus ejuſdem incitatior ſedetur, poſtremo, ejuſdem diſtributio in vaſa quam maxime ſit æquabilis.

Compreſſo fluxu, proximum eſt ut morbus recidivus præcaveatur. Reſpicienda eſt igitur morbi cauſa remotior, cui continentia in omni victu, corporis exercitatione, venæ ſectione tempeſtiva optime occurritur. Revocandæ ſunt præterea ſolitæ ſanguinis excretiones, ſive per menſtruum ab

Utero

Utero fluxum, five a vafis Inteftini Recti fieri confueverunt: at in hac re adhibeatur cautio; fiquidem haud exiguus metus fubeft ne a remediis illis quorum in excretionibus hifce reducendis vis eft maxima, fanguis incalefcens et rarefactus per vafa Ventriculi patefacta denuo exitum fibi faciat. Medicamenta itaque acriora fugienda funt, eaque duntaxat adhibeantur quibus natura de officio fuo admonita perfuaderi, vel manu duci, minime autem cogi poffit: ita enim facillime medicus mediocritatem illam tenebit quæ eft inter nimium et parum.

Morbo jam defcripto fimile eft id Hæmorrhagiæ genus quo fanguis a tunica interiore Inteftinorum tenuium, rarius crafforum, fertur. Huic malo præcurrunt fere lumborum et coxarum gravitas et dolor, et fenfus in Regione Gaftrica Abdominis partibufque circa umbilicum quafi ponderis incumbentis et prementis: raro autem vomitus

vomitus adeſt vel oris Ventriculi dolor: his enim abſentibus, vomitu nimirum et dolore Ventriculi, ab Inteſtinis potius quam a Ventriculo fluxum futurum conjicere licet; fit tamen aliquando ut Hæmorrhagiæ Duodeni vomitio comitem ſeſe jungat. A ſanguine effuſo et putrefacto ſequitur cum flatu multo Inteſtinorum diſtentio; ſuccedit mox dejectio cruenta, ſuperveniente fere animi defectione. Si ſanguis a locis ſuperioribus profluat, niger is et fœtidus profunditur: contra, a locis inferioribus purior fertur. Si a vaſe diſrupto derivetur, id cognoſcitur ex eo quod vis aliqua præceſſit; quod rivo continuo ſanguis fertur; id autem docent dejectiones nunquam non cruentæ. At ſi a patefactis vaſorum extremis in villis inteſtinorum fluat, et acceſſiones et deceſſiones more febrium intermittentium morbus habet; protinus etiam cum ſingulis acceſſionibus hominem invadunt et gravitas et dolor, et ponderis ſenſus,

quæ ab initio morbum instantem præcedere modo dixi.

Multum inter hunc morbum et Dysenteriam interest; siquidem in illo sanguis vel purus vel cum excrementis confusus sine dolore fertur, in Dysenteria contra parcior plerumque cum multo dolore et brevibus intervallis profluit; cum pure præterea et Intestinorum strigmentis mixtus. Fit quidem aliquando ut Hepate suppurato, vomicaque disrupta, pus per ductum biliosum cum sanguine mixtum in Intestina viam inveniat; unde tamen dejectiones saniosæ et purulentæ, non cruentæ sinceriores, prodeunt.

In fluxu Intestinorum jam descripto eadem curandi ratio ac in vomitu cruento teneatur; scilicet victu tenui, medicamentis refrigerantibus, et venæ sectione minuatur sanguinis impetus. Catharticis lenioribus exturbetur sanguis effusus; postremo, morbo reversuro, remotiori ejusdem causæ occurrendo, occurratur.

Ex

Ex dictis patet fluxus illius ratio quo ex Inteſtinis Serum cruentum potius quam cruor effundi ſolet; Hepaticum Fluxum Veteres appellabant Hepatis imbecillitati eundem perperam referentes. At, cum a nulla alia cauſa quam a vaſorum oſculis in villis Inteſtinorum inæquali ſanguinis diſtributione dilatatis provenire eum poſſe veriſimile ſit, eandem plane curationis methodum cum morbo modo deſcripto poſtulare videtur; niſi quod, cum in Fluxu Hepatico, ob impetum ſanguinis minorem quam in altero illo fluxu, minor etiam obſtructionis atque inflammationis metus ſubſit, tutius roborantia atque adſtringentia adhiberi poſſint, idque eo magis quo fluxus aquoſior eſt.

Proximum eſt, ut vitium iſtud in quo vaſa Recti Inteſtini compulſo ſanguine diſtenta, vel aperta, vel diſrupta, multarum moleſtiarum et morborum, nonnunquam etiam ſalutis cauſa ſint, Hæmorrhoidas medici vo-

cant. Hæmorrhoidum eæ quæ intus ſunt, in ultimis Venæ Meſentericæ minoris finibus ſanguinem ab Inteſtino Recto referentis ſedem habent: Hæmorrhoides autem externæ Venis extremis Iliacis per Anum diſperſis natæ, prominentes extra inteſtinum conſpiciuntur. Alia eſt etiam diviſio Hæmorrhoidum, nam vel cæcæ ſunt vel apertæ. Cæcas Hæmorrhoidas eas vocemus quibus vaſa tumore varicoſo diſtenduntur; apertas, contra, e quibus ſanguis exit.

Hæmorrhoidas internas, quarum rationem imprimis explicaturus ſum, ſigna quædam præcedere ſolent, quibus ſanguinem ad corporis interiora pulſum, atque ad loca, unde ſanguinis fluxum expectare licet, deductum veriſimili conjectura colligere poſſumus. Siquidem, morbo inſtante, corporis habitus, quaſi emacuiſſet, adſtrictior eſt, facieſque colorem atque decorem quadammodo amittit. Sequuntur dolores in Hypochondriis

Spaſtici;

Spaſtici; gravitas præterea lumborum atque coxarum: in Inteſtino autem extremo moleſtia quædam quaſi a mole excrementi ſiccioris prementis et obſtruentis. Ubi autem jam aperta eſt Hæmorrhois, ſanguis, vel in deſidendi conatu, maxime autem, poſt expreſſam alvum, funditur. Ipſe autem ſanguis, ſi ſtatim ex aperto vaſe profluat, rutilus atque liquidus fertur; ſin autem effuſus aliquandiu in Inteſtini cavo permanſerit, concretus expellitur.

Cum vero multis ſignis et Hæmorrhoidum Fluxus aliæque ab Inteſtinis ſanguinis profuſiones inter ſe conſentiant; his notis uti licet quibus a ſe invicem internoſcantur. Cum ab Inteſtinis tenuibus fertur cruor, hunc caſum graviora fere omnia ſymptomata præcedere ſolent, loco ſuo ſupra memorata: cum animi etiam defectione fere, aut maximo virium lapſu a locis ſuperioribus cruor dejectione funditur: præterea, ater atque graveolens, et cum excrementis confuſus

fuſus deſcendit. In Hæmorrhoidibus, contra, ſine inſigni virium lapſu ſeorſim ab excrementis exit. At ſi a vaſis craſſioris Inteſtini, Coli nimirum, fluat ſanguis, tum quidem non adeo cum fæcibus alvi confuſus, at plerumque in grumos coactus deſcendit; quin et ab Ano abſunt gravitas et dolor.

Hæmorrhoidum Fluxui fœminis viri natura ſunt magis opportuni, in illis enim ſanguis abundantior per vaſa uterina menſtruis periodis efferri ſolet. Ætate autem conſiſtentes, aut intra ſenectutis limites conſtitutos, frequentius quam juvenes, hic morbus adoritur: hos ſiquidem ſanguinis profuſio vel a naribus, vel a pulmone, quin et deſtillationes frequentes exercere ſolent; quibus id quod in vaſis abundat ſubtrahitur: quod quidem eo confirmatur quod a nonnullis obſervatum video; in ætate nimirum conſiſtente Hæmorrhoides iis maxime familiares eſſe quibus in juventute ſanguis e naribus fluere conſuevit. Eadem pariter

riter de causa fœminæ, quibus menstrua vel supprimuntur, vel maturius justo penitus substiterunt, Hæmorrhoidum fluxui præ cæteris opportuniores sunt: natura scilicet sanguini copiosiori, nunc errore aliquo, nonnunquam autem consilio et prudentia, per loca insolita exitum quærente. Quæ quidem naturæ prudentia in utero gestantibus evidentissime conspicitur; quibus ad Intestini Recti vasa cruorem menstruum diversum sæpissime novimus, ut fœtus saluti simul et vasorum, debitæ exinanitioni satis prospectum esset; siquidem prægnanti Menses ab utero fluentes abortus metum faciunt.

In causis Hæmorrhoidum exponendis id imprimis satis verisimiliter statui posse puto, Naturam in fluxu illo minime pati, ut in vulneribus inflictis; nec conquiescere, ut in sopore nonnunquam Epileptico, et in Paralysis quodam genere; sed revera rem suam agere, atque finem quem consequatur propositum habere; nempe ut san-

guinis redundantis copia minuatur, vel ut ipſe ſanguis juſto craſſior attenuetur. Hæc ut efficiat æquabilem vaſorum tonum ope nervorum huic rei præpoſitorum ita mutat, ut ſanguis a partibus corporis ſummis ad ejuſdem ſedes interiores adactus in vaſa inferiora Meſenterica ea copia deducatur atque compellatur, ut ex eorum finibus diſtentis et apertis id quod nimium eſt effundi, atque dejectione expelli poſſit. Quod ex ſignis Fluxum Hæmorrhoidum præcedentibus et comitantibus, habitu nimirum corporis adſtricto, facie decolore, gravitate lumborum et coxarum, vaſis Inteſtini Recti diſtentis et varicoſis ſatis patet. At in Hæmorrhoidibus internis id præterea notetur, ſanguinem ſæpe abſque dolore fundi, plerumque poſt excrementa dejecta; unde a Villis tunicæ interioris Inteſtini Anaſtomoſi apertis potius, quam a vaſis diſtentione diſruptis, eundem exprimi veriſimile videtur. Certe profluvium illud

lud Anaſtomoſi fieri intelligitur, quotieſcunque ſanguis non rivo continuo in Inteſtini cavum fertur. Is autem caſus facile ex alvo nunc cum cruore nunc abſque eodem expreſſa dignoſcitur.

Plures autem Hæmorrhoidum cauſæ remotiores eſſe ſolent: nam et a ſanguinis redundantia, et ab ejuſdem nimia ſpiſſitudine, et ab eodem rarefacto, vel acri, vel a cauſa quacunque nimis commoto, poſtremo ab Inteſtino certis quibuſdam medicamentis exſtimulato, hunc morbum exoriri poſſe compertum eſt. Unde vaſorum exinanitiones conſuetas vel prætermiſſas, vel compreſſas, et victus rationem ſolito lautiorem, et medicamenta Chalybeata intempeſtive data, et purgantia acriora, et exercitationem corporis vel prætermiſſam vel, conſueto vehementiorem ſequitur.

De fine hujuſce profluvii, naturæque propoſito in eodem inſtituendo, ex iis quæ ſupra dixi, conſtat. Et profecto quiſquis

quiſquis eo non imbecillior ſit is purgationem illam non morbum habet. Ideoque curati temere, cum ſanguini abundanti exitus denegatur, inclinata vel in caput, vel in præcordia, vel in viſcera abdominis, materia, graviſſimis morbis corripi ſolent; maxime vero Apoplexia, Paralyſi, Tabe, Aqua, intercute.

Ab Hæmorrhoidibus ſanguinem maxime profluere ſolere in iis qui in ætate conſiſtente aut in prima ſenectute ſunt conſtituti dixi. Aliquando tamen maturius profluit. At quibus junioribus id vim conſuetudinis obtinuerit, hos profecto plerumque adverſa valetudo, atque mors præmatura manet. Cum enim hoc profluvii genus in junioribus certa lege atque modo ſeſe coerceri ægre patiatur, levibuſque de cauſis reprimi et in loca aliena diverti ſoleat; magnopere quidem metuendum eſt, ne aliquando exoriantur morbi quos Hæmorrhoidas ſuppreſſas excipere ſolere ſupra memoravi.

Unde

Unde a Practicis nonnullis præcepto cautum video, ne in adolescentibus naturæ conatus in Hæmorrhoidum fluxu arcessendo temere promoveantur; satius enim his esse Venæ sectionem huic fluxui vicariam substituere, ut isto modo minuatur vasorum plenitudo, quam exinanitionis generi incertiori et minus commodo naturam adsuefacere.

At licet in adolescentibus quibus nondum ab Hæmorrhoidibus sanguis fluxit, eundem prolicere omnino sit inutile; si cui autem ex solito hujusmodi profluvio intermisso quid incommodi suboriatur, tum profecto consuetum exinanitionis genus reducatur. Detracta igitur per venam sectam ea sanguinis copia quam vasorum plenitudo postulare videatur, medicamentis idoneis intro datis ad vasa Recti Intestini sanguis dirigatur: hoc autem maxime facere Aloe, Myrrha, Melampodium, medicorum suffragiis constat. Præcipiunt etiam nonnulli ut

Hirudinum

Hirudinum ſuctu, vel Ano aſperis linteis confricato, proliciatur cruoris effuſio; at id quidem fere ſupervacaneum eſt, niſi, venis Ani jam cruore diſtentis, Naturæ, ſponte ſua fluxum molienti, his auxiliis adhibitis in loco obſecundare medicus tentaverit.

Fit etiam aliquando ut molimine juſto majore humores violentius compellantur, et ſanguis, tenſione atque dolore magno obortis, coerceatur, naturaque ſibi ipſa officiat: qui caſus ſane aliam curationem poſtulat: omiſſis enim iis quibus acrior exſtimulandi et calefaciendi vis ineſt, venæ ſectioni, medicamentis lenientibus in Anum immiſſis, fomentiſque admotis res tutiſſime committitur; ut ſoluta membranarum circumjectarum tenſione venarum ora facilius aperiantur.

Quod ſi ab Hæmorrhoidibus apertis aut frequentius juſto profluat ſanguis, aut flumine pleniore deſcendat, quam quod in ſalutem hominis convenire poteſt; id autem ex virium lapſu, ex pulſu

pulſu parvo et debili, ex facie decolore, ex tumore corporis albo et laxo facile innoteſcit; tum quidem profuſio minuatur, non ſupprimatur. In fluxu autem moderando aliud, præſente morbo, aliud intermittente, eſt agendum. Vigente enim profluvio, Clyſtere idoneo immiſſo alvus eſt liquanda; ut excrementi durioris mole ſubducta minuatur in Recto Inteſtino venarum compreſſio, et ſanguine refluo via pateat. Præterea, vena ſecta, ſi pulſus et vires ferant, minuatur ſanguinis et copia et impetus. Medicamenta etiam incraſſantia et refrigerantia ejuſdem tenuitati et fervori opponantur. Nec alienum erit, profuſionis impetu id poſtulante, leniora Narcotica adhibere; ut, conſopito Senſu Vitali nimis acuto, ſolvatur in vaſis Meſentericis tenſio nimia, et juſta per corporis vaſa fiat humorum diſtributio.

His autem minime proficientibus, ad adſtringentia et ſtyptica confugiendum

endum eſt; in quibus tamen adhibendis modus ſit, ut nequid nimis fiat: quo ſpectat illud præceptum Hippocraticum; nempe ut in Hæmorrhoidibus filo conſtringendis una ſervetur aperta; ut humori olim forte redundaturo exitus minime denegetur. Præterea, quos profuſæ nimis Hæmorrhoides exercere ſolent, in acceſſionum intervallis ſedulo cavere decet, ne aut victu lautiore, aut corporis exercitatione vehemente, aut animi motibus effrænatis ſanguis nimis commoveatur. Præterea, ſi idem abundantior in vaſis colligatur, is venæ ſectione tempeſtiva eſt minuendus; ita enim naturæ conatibus violentioribus eundem per Inteſtinorum vaſa exturbandi, optime occurritur. Poſtremo, alimenta omnia acriora, duriora, alvum aſtringentia fugiat æger; ne, Inteſtinis ſtimulatis, ad vaſa Meſenterica uberior juſto provocetur ſanguinis rivus; vel mole excrementorum compreſſis Recti Inteſtini vaſis, atque

adeo

adeo cruoris reditu impedito denuo concitetur Hæmorrhagia.

De Venarum Hæmorrhoidum varicosis distensionibus iis nunc dicendum est, quæ, quoniam sanguinem non fundunt, cæcæ nuncupantur. Hisce autem signis morbus innotescit. Exoritur cum multo ardore distentione et pulsu Recti Intestini dolor, qui eo acerbior fit quo sanguis copiosius in vasa distenta spastica vasorum et membranarum circumjectarum tensione compellitur. Præterea, in alvo deponenda, maxime si ea durior sit, dolor multum ingravescit; siquidem conatu alvi dejiciendæ venæ distentæ comprimuntur. Quinetiam propter vasorum et Intestino, et Cervici Vesicæ, et, in fœminis, Vulvæ sanguinem deferentium commercium mutuum, in urina reddenda supervenit difficultas, in ore vero Vulvæ venarum varicosarum quasi capitula nonnunquam prominere ex Celsi observatione constat.

Inter Recti Inteſtini inflammationem et dolorem Hæmorrhoidum hoc maxime intereſt; quod Inteſtino inflammato perpetuo dolore homo dilaceretur, at in Hæmorrhoidibus cæcis, acceſſionibus et remiſſionibus ſubitis nunc exacerbetur, nunc miteſcat malum. Ex his autem viciſſitudinibus doloris nunc ſævientis, nunc quieſcentis, certiſſime colligitur proxima hujuſce morbi cauſa; vaſorum nempe Tonus Nervorum vi per vices intentus aut remiſſus; quo ſanguis nunc in vaſa Inteſtini magno impetu propulſus coercetur; nunc, contra, clauſtris reſolutis, per venas denuo patulas deportatur diſtentionis ſimul et doloris cauſa.

Hæmorrhoidas cæcas in cruentas mutari poſſe ſpes eſt (ut de eventu hujuſce mali dicam) ſi tumor Inteſtini modicus ſit, ſi membranarum tenſio levis, ſi dolor mitis et tolerabilis ſubinde remittat vel evaneſcat. Nonnunquam etiam, vaſorum tono inæquali

quali omnino ſoluto, ſolvitur morbus; ſanguine per venas laxatas conſuetum curſum repetente.

Contra vero, ſi dolor acutus atque aſſiduus inſtet cum pulſu, calore, et tenſione magna; ſi hiſce febris ſuperniat, atque horror leviculus hominem ſubinde invadat; ſcire licet ſuppurationem fieri.

In dolore Hæmorrhoidum cæcarum curando id imprimis medico eſt tentandum, ut, ſoluta vaſorum tenſione, ſanguini redituro via aperiatur; atque ſimul ut, omnem cauſam, ſanguinem in hæc loca juſto copioſius impellendi, naturæ præcidat. Venæ ſectione igitur detrahatur ſanguis, ut ejuſdem abundantiæ minuendæ (quam morbi cauſam remotiorem eſſe ſupra diximus) et nervis nimis intentis relaxandis proſpiciatur: quin et eadem opera ſolvitur, nimia, ſiqua ſubeſt, ſanguinis ſpiſſitudo. Deinde leni aliquo medicamento, vel in Inteſtinum, Clyſteris ope, immiſſo, vel potui dato, ſolvatur

 alvus;

alvus; ut excrementis, ſive durioribus, ſive acrioribus, depoſitis, auferatur omne id quod vel irritando nervos intendere, vel venas comprimendo ſanguinis recurſum impedire poſſit. Victus, præterea, ſit tenuis, refrigerans, humidus, ut ſanguinis fervor comprimatur, et alvus mollis permaneat. In aqua, præterea, dulci tepida deſidere haud inutile eſt, eaque medicamenta locis affectis admovere quæ vi ſua Anodyna et molliente dolorem lenire vaſorumque contentionem ſolvere poſſint.

Devicto ſemel morbo, ne rurſus bellum moveat videndum eſt; Vis igitur ſanguinis redundantis venæ ſectione tempeſtive diminuatur, multaque, non autem vehemente, exercitatione ſolvatur ejuſdem nimia ſpiſſitudo: liquetur præterea alvus, raro autem ducatur, ne nimis ſtimuletur Inteſtinum Rectum. Quinimo omne acre vitandum eſt, omnia etiam quibus ſanguis vel rarefieri, vel incaleſcere,

cere, vel commoveri nimis ſolet, vinum meracius, alimenta multo ſale aut aromate contacta, adſtringentia, præterea, et auſtera, maxime ſi ſimul calefaciant.

Reliquum eſt ut de Varicibus in Venarum Iliacarum finibus circa marginem Ani extremam obortis breviſſime dicam. Cum tumore, pruritu, et dolore prodeunt, ſpecie varia et multiformi, Uvas, Moros, Veſiculas referentes; raro ſua ſponte, in deponenda vero alvo duriore, vel ſcalpendo, diſrupti ſanguinem fundunt: iiſdem autem diſruptis exulceratio ſæpiſſime ſupervenit; quæ vel vetuſtate in callum indureſcere, vel varia tuberculorum genera (carne nimirum ſupercreſcente) fundere ſolet. Quin et venis his tumentibus gravis inflammatio nonnunquam exoritur; quæ, niſi venæ ſectione, fomentis, aliiſque reſolventibus recte curetur, in Ani ſuppurationem atque fiſtulam fere vertitur.

Supereſt ut de hujus mali cauſis atque curatione diſſeram: cum vero illa

quæ

quæ ad Hæmorrhagiam in hoc morbo ſpectant ex iis quæ ſupra dicta ſunt ſatis intelligi poſſint; ulcerum, tuberculorum et fiſtularum remedia, a Chirurgia petenda, jamdudum longior, ſermone perſequi nolo, ut noſtræ Prælectioni modus ſit, otiique veſtri habeatur ratio.

FINIS.